DE

CRATETE MALLOTA

DISPVTAVIT

ADIECTIS EIVS RELIQVIIS

CVRTIVS WACHSMVTH

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

CIↃIↃCCCLX

DE

CRATETE MALLOTA

DISPVTAVIT

ADIECTIS EIVS RELIQVIIS

CVRTIVS WACHSMVTH

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

CIƆIƆCCCLX

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI

OTTONI · IAHN · FRIDERICO · RITSCHL

PRAECEPTORVM · PARI · INCOMPARABILI

DISCIPVLVS · PIENTISSIMVS

Miram fortunae inconstantiam nemo facile magis expertus est quam Crates Mallotes grammaticorum Pergamenorum auctor atque princeps. Namque cum aequalium iudicio grammaticae artis palma iuxta Aristarchum acerrimum Cratetis aduersarium ipsi delata esset (cf. Strabo I, p. 30 C., Dio Chrysost. or. LIII, 4, Sextus Emp. adu. math. I, 44), posteriores grammatici Aristarchum τὸν πάνυ ad unum omnes quasi deum admirati consultiusque arbitrati illo duce errare quam suapte uirtute ueritatem inuestigare, istum ubicumque Aristarcho oblocutus fuit carpendum sibi sumpserunt. Tum post diuturnam obliuionem uehementissime est increpatus ab antesignanis duobus recentium grammaticorum Fr. Aug. Wolfio prolegomenon ad Homerum p. CCLXXVI sq. et Godofr. Hermanno opusc. III, p. 272, postea a Lehrsio Aristarch. p. 246 et de Asclepiade Myrl. p. 434 Luebbertioque „*zur charakteristik des Krates von Mallos. ein bruchstück*“ in nouo museo Rhen. XI, p. 438, utpote aduersarii Aristarchi satellitibus atque asseclis, clementius uero tractatus a Welckero *kleine schriften* II, p. 48 sq. (*die homerischen Phaeaken und die inseln der seligen*), Nitzschio in Odyss. κ. 82 p. 105, Muetzellio de emendanda theog. Hesiod. p. 285 Wegeneroque de aula Attalica p. 114 sq.; denique nactus est futurorum honorum uatem Vaterum in Iahnii annal. suppl. IIII (1836) p. 9, quin qui toto corpore atque omnibus unguiculis ut dicunt pro ipso dimicaret patronum quamuis satis importunum Bernh. Thierschium *ueber das zeitalter und vaterland des Homer* ed. alt. p. 19 sq. Ecce rursus misellus grammaticus uocatur ad partes.

Pauca sunt quae traduntur de uita Cratetis; ea quae aetatem tulerunt testimonia infra scripsi integra[1].

1) Sed a quo Classen de primord. Grammat. Gr. p. 79 Cratetem Diogenis Babylonii fuisse discipulum acceperit prorsus me fugit.

Suidas et Eudocia p. 273 u. *Κράτης Τιμοκράτους Μαλλώτης φιλόσοφος στωικὸς ὃς ἐπεκλήθη Ὁμηρικὸς καὶ κριτικὸς διὰ τὴν καὶ* (*καί* add. *ABEV*) *περὶ τοὺς γραμματικοὺς καὶ ποιητικοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπίστασιν, σύγχρονος Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ ἐπὶ τοῦ* (*τοῦ* om. *A*) *Πτολεμαίου Φιλομήτορος* (pro *ἐπὶ* — *Φιλομήτορος* Eudoc. *καὶ τοῦ Φιλ. Πτ.*) *συνέταξε διόρθωσιν* (sic *Basil. Eudoc.*; *δὲ ὄρθωσιν ABEVMed.*) *Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν* (*ἐν* om. *A*V*) *βιβλίοις* (*βιβλία* omisso *ἐν* malit Bernhardy) *θ' καὶ ἄλλα.*

Suidas u. *Ἀρίσταρχος*: . . . *καὶ Κράτητι τῷ γραμματικῷ Περγαμηνῷ πλεῖστα διημιλλήσατο ἐν Περγάμῳ* (Bernhardy coni. *τῷ γραμματικῷ πλεῖστα διημιλλήσατο ἐν Περγάμῳ ὄντι*).

Demetrius Magnes[1]) ap. Laert. Diog. IIII, 23: *γεγόνασι Κράτητες δέκα . . . ἕβδομος Μαλλώτης γραμματικός.*

Strabo XIIII, p. 676 C.: *ἐντεῦθεν* (Mallo) *ἦν Κράτης ὁ γραμματικὸς οὗ φησι γενέσθαι μαθητὴς Παναίτιος.*

Plutarchus adu. Epicur. p. 1095 d: *οὐδὲ γὰρ Ἱέρων γ' ἂν οὐδὲ Ἄτταλος οὐδὲ Ἀρχέλαος ἐπείσθησαν Εὐριπίδην καὶ Σιμωνίδην καὶ Μελανιππίδην καὶ Κράτητας καὶ Διοδότους ἀναστήσαντες ἐκ τῶν συμποσίων κατακλῖναι Κάρδακας καὶ Ἀγριάντας μεθ' αὐτῶν κτλ.*

Strabo XIII, p. 609: (Demetrius Scepsius) *κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς Κράτητι κτλ.*

Suetonius de gramm. et rhetoribus c. 2 p. 100 ed. Reifferscheid: primus quantum opinamur studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes Aristarchi aequalis qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium Punicum bellum sub ipsam Enni mortem, cum regione Palati prolapsus in cloacae foramen crus fregisset, per omne legationis simul et ualetudinis tempus plurimas acroasis subinde fecit assidueque disseruit ac nostris exemplo fuit ad imitandum; hactenus tamen[2]) ut carmina parum adhuc diuolgata uel defunctorum amicorum uel si quorum

1) Cf. V. Rose de Aristotelis libr. ord. et auct. p. 41.

2) Verbum „imitati" uolgo post „tamen" scriptum rectissime Reifferscheid induxit.

aliorum probassent diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent; ut C. Octauius Lampadio Naeui Punicum bellum, quod uno uolumine et continenti scriptura expositum diuisit in septem libros, ut postea Q. Vargunteius annales Enni quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat, ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus Lucili saturas familiaribus suis (ita coni. Heusde stud. crit. in Lucil. p. 46 sq. pro „familiaris sui").

Vixit igitur Crates Mallotes quem eundem Pergamenum esse non opus est post Lyndenum de Panaetio p. 21 sq. demonstrem, aequalis Demetrio Scepsio [1]) Ptolemaeo Philometori, qui regnauit ab ol. 149 usque ad 158, Aristarchoque, qui ab ol. 142 usque ad 160 uitam degit, ex accurata a Mauritio Schmidt in philolog. VII, p. 366 sq. instituta computatione. Ac quod a Suetonio l. s. perhibetur ab Attalo rege i. e. Philadelpho, quamuis ille ol. 155, 3 demum regnum susceperit, missus esse Romam sub mortem Ennii, qui ol. 152, 4 obiit, id facillime ita expediendum uidetur, ut nec Suetonio temere ut uoluerunt quidam fidem abrogemus nec cum Lyndeno p. 24 et Wegenero p. 121 n. 4 existimemus reges Pergamenos uniuersos quasi nomine communi Attalos esse uocatos, sed a Pergamenis aeque atque a Persis et Graecis regum fratres filiosque reges appellatos esse censeamus, nihil certi de caussa legationis statuere ausi [2]).

Dein Suidae uerba *φιλόσοφος στωικός* nolo ita cum Wegenero p. 21 sq. accipias, ut putes Cratetem stoicam scholam Pergami condidisse atque ipsum discipulos philosophos philosophiam stoicam docuisse; namque id ne inde quidem colligi potest quod Panaetius stoicus eum audisse narratur. Sed notatur his uerbis Crates stoicae disciplinae prorsus addictus, ac totam Cratetis doctrinam ex stoicorum philosophia promanasse, id quod obiter

1) Is autem fuit *μειράκιον* (cf. Strabo XIII, p. 594) a. 190 a. Chr. cf. Stiehle in philol. V, p. 528.

2) Parum enim certam duco Wegeneri p. 120 sq. coniecturam a Suetonio dici Attali et Stratii legationem a Liuio XXXXV, 19 Polybioque XXX, 2 p. 1049 Bekker. traditam suspicantis.

quamuis monuerint multi, nemo tamen demonstrauit plane pleneque, postea accuratius enucleare conabor.

Magistro eo usus est praeter Panaetium Tauriscus homo ceteroquin ignotus disertis uerbis a Sexto Emp. adu. math. I, 248 *ὁ Κράτητος ἀκουστής* appellatus; usos esse iure suspiceris quippe qui *Κρατήτειοι* laudentur Zenodotum Mallotam[1]), Herodicum Babylonium[2]), Hermiam (cf. schol. *Π* 207), denique Cratetis doctrinae speciem prae se ferentes Artemonem *τὸν ἀπὸ Περγάμου*[3]) et Asclepiadem Myrleanum[4]).

Eius autem rei quod Crates antiquissimis grammaticis Romanis exemplo fuit ad imitandum, unicum quod uideo seruatum est testimonium. Vargunteius enim qui in Ennii annalibus retractandis a Suetonio l. s. narratur Cratetem imitatus esse ab eodem Suetonio in anecdoto Parisino p. 138 ed. Reifferscheid. perhibetur notis criticis in eisdem edendis usus. Inde igitur

---

1) Cf. Schneidewin in philol. II, p. 746, Duentzer Zenodot. p. 23 sq. et in Iahni annalibus 65, p. 121 sq., O. Schneider in nou. Ienens. litt. ephem. 1848, n. 217 sq., M. Schmidt in Caesar. diar. XIII (1855), p. 253 sq., Osann quaest. Hom. I, p. 5 sq.

2) Cf. Wegener p. 155 sq., Clinton fast. Hell. III, p. 535, O. Schneider de schol. Aristoph. p. 93.

3) Cf. Mueller fragm. hist. Gr. IIII, p. 340 sq., ubi addas Tzetz. in Lycophr. u. 177 p. 454 et 455 Mueller.

4) Nam Asclepiadem cur Cratetis discipulum fuisse negemus non uideo. Quamuis enim dixerit Lehrs de Asclepiade Myrl. p. 434: „qua disciplina usus sit Myrleanus grammaticus ignotum. Quod Crateteum prodit colorem, inde uix certi aliquid efficias. Etenim sic res sese habet: uti homines omni tempore etiam sine disciplina et contra disciplinam aut stoici fuerunt aut Epicurei, sic grammatici aut Aristarchei aut Cratetei", tamen cum a Suida ille tradatur *γεγονέναι ἐπὶ Ἀττάλου καὶ Εὐμένους τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων*, quibus uerbis Lehrs nimis seuere uti noluit (plane nimirum procedunt uerba Suidae usque ad *διορθωτικά*, ea demum quae secuntur manca et corrupta sunt) i. e. Pergami illis regibus uersatus esse, haud improbabiliter hominem Cratetis discipulum dicas; neque reliqua temporum ratio haec quin credas obstat, cf. Lehrs p. 432. — Contra non satis distincte Alexander Milesius *γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν* a Suida u. *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος* uocatur (cf. Mueller fragm. histor. Graec. III, p. 206), quocum temere Cotyaeensem confudit B. Thiersch „de schola Cratetis Mallotae Pergamena" progr. Dortmund. 1834 de uno hoc per totum libellum argutatus.

profectus, licet praeterea eius rei nullum indicium reperiatur uehementissimeque refragetur Osann an. Rom. p. 242 sq., haud inepte cum Bergkio in diariis antiq. III (1845) p. 115 suspicabere Vargunteium in Ennii annalibus notarum supellectile instruendis Cratetis exemplum spectasse. Alia contra Crateteae doctrinae in istis Romanis uestigia aut egrie fallor aut frustra quaesiueris; namque praeterquam quod Crateti in legendis tantum scriptorum libris eos obsecutos esse diserte Suetonius testatur, eas quae adsunt identidem stoicae in illis doctrinae significationes stoicis ipsis Romae uersatis multo maiore iure quam Crateti tribuas, uelut Aelius Stilo a Cicerone Bruto 56 stoicus uocatur Romanique grammatici primi teste Prisciano VIIII, p. 910 stoicorum magis secuti sunt traditionem.

Cantilena denique est a nemine non decantata grauissimam Cratetem inter et Aristarchum efferbuisse contentionem (idcirco nempe dixit Bibaculus apud Sueton. de grammat. et rhetorib. c. 11 p. 110 ed. Reifferscheid. in Valerium Catonem qui Indignationem scripserit „*en cor Zenodoti en iecur Cratetis*“): atque fuit sane haec res tam famosa ut lepidis narratiunculis exornaretur. Etenim quod Varro apud Plinium h. n. XIII, 11 tradit *aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis supprimente Ptolemaeo chartas membranas Pergami esse inuentas* i. e. multo melius magisque affabre quam antea praeparatas (cf. Wegener p. 44 sq.), id mox uariis modis est exaggeratum et amplificatum atque ad Cratetis Aristarchique discordiam relatum [1]). Nec non post mortuos certaminis principes in utramque partem a discipulis acriter est disceptatum; Aristarcheorum enim Dionysius Thrax *ἐν τῷ πρὸς Κράτητα* laudatur in schol. I 464 et Parmeniscus *ἐν τῷ ά πρὸς Κράτητα* in schol. Θ 512 [2]), Crateteorum uero Zenodotus scripsit *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ* teste Suida, Deme-

1) Cf. Lydus de mensibus p. 30 ed. Roether., ap. Cramer. an. Paris. I, p. 314 sq. et p. 368, excerpta cod. Paris. reg. 1630 ap. Boissonad. anecd. Gr. I, p. 420, Tzetzes chil. XII, 347.

2) Ad quem librum recte Osann an. Roman. p. 98 retulit schol. Vatic. Eurip. Rhes. 524.

trius Ixion transfuga πρὸς τὰς ἐξηγήσεις et πρὸς τοὺς ἠθετημένους, (cf. Beccard de scholiis Homer. Venet. p. 66), sugillauit Aristarcheos Herodicus Babylonius acerbissimo epigrammate apud Athen. V, p. 222 a.[1])

Huius igitur certaminis quae tandem fuerit origo et auctoritas, accuratius perlustraturo mihi ordine uiaque progrediendum est et quoad licet imago totius Crateteae doctrinae proponenda nec concedendum ut interrumpatur ea adumbratio refutandis peruersis eorum qui passim de illa disseruerunt Lerschii Graefenhani Wegeneri opinionibus, quae fere indignae sunt in quibus haereas et ita comparatae ut suapte mole corruant.

Alexandrini grammatici, quorum omnis doctrina a legendis explicandisque ueterum scriptorum praecipue poetarum libris profecta est, grammaticam dixerunt ἐμπειρίαν τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων eiusque constituerunt partes sex: ἀνάγνωσιν ἐντριβῆ κατὰ προςῳδίαν, ἐξήγησιν, γλωσσῶν καὶ ἱστοριῶν ἀπόδοσιν, ἐτυμολογίας εὕρεσιν, ἀναλογίας ἐκλογισμόν, κρίσιν ποιημάτων.[2]) Haec uero quam maxime Crateti ut homini philosopho displicuerunt. Stoici enim praeclare in artem grammaticam meriti εἰς τὸ λογικὸν περί τε ὀνομάτων ὀρθότητος καὶ τῶν λοιπῶν[3]) disserendum esse arbitrati logicae disciplinae alteram partem esse uoluerunt τὸν τόπον περὶ αὐτῆς τῆς φωνῆς, ἐν ᾧ δείκνυται τί (τί addidi) ἡ ἐγγράμματος φωνὴ καὶ τίνα τὰ τοῦ λόγου μέρη καὶ περὶ σολοικισμοῦ καὶ βαρβαρισμοῦ καὶ περὶ ἐμμελοῦς φωνῆς καὶ περὶ μουσικῆς (Laert. Diog. VII, 44), nec minus subtiliter casuum temporumque doctrinam rimati sunt, de quibus omnibus notum est egregie disputasse Rudolphum Schmidt *stoicorum grammatica.* Id unum adiciam necesse est, stoicos ei po-

1) Ptolemaeus Ascalonita ἐν τῷ περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως schol. I 155 a quorum partibus steterit non liquet.

2) Dionysii enim Thracis esse eam quae fertur τέχνην qui possit negari post Schmidtium in philolog. VIII, p. 231 sq. non dispicio.

3) Laert. Diog. VII, 83, ubi καὶ τῶν λοιπῶν adieci ex Stephani codicibus cum C. F. Hermanno in diar. antiq. I (1834), p. 105; uerba quae secuntur ὅπως διέταξαν οἱ νόμοι corrigenda sunt ὅπως δὲ τάσσονται νόμοι, quod moneo ob Lerschium philos. linguae I, p. 46.

tissimum rei operam nauasse, ut interiores linguae rationes perscrutarentur, cum auctoritatem et uim singularum orationis partium tum innatam natura flexionum potestatem indagarent, uelut quinque casus *ὡς τῶν σημαινομένων οὐ τῶν φωνῶν* esse censentes (schol. Dion. Thr. p. 860) genetiuum casum[1]) et accusatiuum[2]) nuncuparunt nominibus quibus perspicue denotaretur peculiare eorum officium. Hos igitur secutus Crates eis terminis quibus totam Alexandrini circumscriptam esse sibi persuaserant tam non definiri putauit artem grammaticam, ut eis contentum *ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸν καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων* (i. e. ceterarum Alexandrinae illius grammaticae partium) *εἰδήμονα* purum putum grammaticum ministri tantum officium explere existimaret; namque materiam *ἐμπειρίᾳ τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων* congestam iam necesse esse *ἀρχιτέκτονος* in modum et ex logicae artis ratione digerat disponat diiudicet *λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρος* (cf. Cratetis frg. inc. sed. 1). Quod propter munus digerendi disponendi diiudicandi quae cuncta optime graece *κρίνειν* dicas *κριτικός* audire et ipse maluit[3]) quam grammatici nomine quo Alexandrini appellati sunt et primos eos appellatos esse ueri est simillimum, et maluerunt sectatores eius[4]) inter quos Telephus *ὁ κριτικὸς ὁ ἐκ τοῦ Περγαμηνοῦ μουσείου* (Aelian. hist. anim. X, 42), quem iustum Crateteum esse docuit Preller in Zimmermanni diar. antiq. 1837, p. 498 sq. Atque tribus potissimum in rebus istud critici officium cerni pronuntiauit Crates —

1) Quode sagaciter disseruit Schoemann „*was bedeutet die γενικὴ πτῶσις*“ in Hoeferi annal. ling. litt. I (1846), p. 79 sq., II, p. 139, quem qui aggressus est C. E. A. Schmidt in Hoeferi annal. II, 63 sq. et libello „*beitraege zur geschichte der grammatik des griechischen und lateinischen* p. 320 sq. ita egit ut argumentis quibus ad refellendam Schoemanni sententiam usus sit Glycae potissimum p. 46, 27 ed. Iahn auctoritate eam stabiliisse magis quam labefactasse uideretur.

2) Cf. Trendelenburg in act. societ. graec. Lips. uol. I, p. 119 sq.

3) Cf. Asclepiades Myrleanus ap. Athen. XI, p. 490 e, Suidas u. *Κράτης* cuius uerba *ἐπεκλήθη . . κριτικός . . διὰ τὴν περὶ τοὺς γραμματικοὺς λόγους ἐπίστασιν* ne possunt quidem aliter intellegi.

4) Sext. Emp. adu. math. I, 248: *Ταύρισκος ὁ Κράτητος ἀκουστὴς ὥςπερ οἱ ἄλλοι κριτικοί.*

namque Taurisci discipuli apud Sext. Emp. adu. math. I, 248 sententiam optimo iure ad magistrum referas, quamquam Wegener p. 107 not. 10 cum Crateti contradicere narrat — et in *ἱστορικῷ*[1]) ubi eius esset *ἡ προχειρότης τῆς ἀμεθόδου ὕλης* i. e. examinare traditarum historiarum quae uerae quae falsae essent, et in *τριβικῷ*[2]) ita ut distingueret singulorum scriptorum *τὰς διαλέκτους καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων*, denique in *λογικῷ* quod *περὶ τὴν λέξιν καὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους* uersaretur[3]). Crates ergo — id enim nunc nobis prae ceteris curae cordique est — censuit in linguae disciplinam excolendam eamque certis ex ipsius natura depromptis rationibus confirmandam qui incumberet eum oportere logicam potissimum artem respicere atque ex eius legibus dictionem grammaticosque *τρόπους* diiudicare.

---

1) Cf. Sext. Emp. adu. math. I, 266: *καταγελᾶν ἄξιον τῶν λεγόντων ὅτι εἰ καὶ ἡ ὕλη τῆς ἱστορίας ἐστὶν ἀμέθοδος ἡ μέντοι κρίσις ταύτης γενήσεται τεχνική, δι᾽ ἧς γινώσκομεν τί τε ψεῦδος ἱστόρηται καὶ τί ἀληθῶς*, quibus uerbis Tauriscum peti unusquisque uidet. Haec quid sibi uelint accuratius ut intellegas adscribam Asclepiadis apud Sext. Emp. adu. math. I, 252 sq. disputationem; is enim *τριχῇ ὑποδιαιρεῖται τὸ ἱστορικόν· τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναί φησι τὴν δὲ ψευδῆ τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ, καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικήν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα καὶ μύθους, ὡς ἀληθῆ δὲ οἷα ἐστιν ἡ κωμῳδία καὶ οἱ μῖμοι. τῆς δὲ ἀληθοῦς τρία πάλιν μέρη· ἡ μὲν γάρ ἐστι περὶ τὰ πρόςωπα θεῶν καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν, ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους, ἡ δὲ περὶ τὰς πράξεις. τῆς δὲ ψευδοῦς, τουτέστι τῆς μυθικῆς, ἓν εἶδος μόνον ὑπάρχειν λέγει τὸ γενεαλογικόν.* Atque habes Cratetis eiusmodi *κρίσεως* exemplum seruatum in frgt. inc. sed. 9 adhibitae in *Κρόνου* historia fabulari diiudicanda.

2) Vnicum Cratetis hac in re positorum studiorum documentum uideo extare iudicium de Euripidis Oreste Alcestide Sophoclis Electra latum (cf. Cratetis in Orestem prooemium).

3) Minus igitur recte ea Lehrsio de uocabulis *φιλόλογος* etc. p. 389, R. Schmidtio stoicor. grammat. p. 3 not. 3, aliis uisa est uerborum contentio; namque omnino cuncta Alexandrinorum studia grammaticae nomine complexus est Crates, Alexandrini contra *κρίσιν* dixerunt carminum aestimationem aestheticam, ut nos neque latine neque graece loquimur; quae potestas uolgaris ea ut docuit Lehrs p. 395 sq. non minus quam Cratetis uniuersa magis uocabuli ui usuque (cf. Platon. pol. p. 259 e) comprobatur.

Quid igitur? — iam audio haud paucos uociferantes — logicis rationibus stabilitam linguae doctrinam dicis et postulasse et exercuisse Cratetem, quem eundem Gellius II, 25 narrat summa ope linguae ἀνωμαλίαν contra Aristarchum defensitasse? Quaenam est haec mira hominis constantia? Hos ut mitigem placamen altius erit repetendum primumque quid tandem sibi uoluerit illa Aristarchi analogia cui Crates oblocutus sit enucleatius explanandum.

Alexandrini grammatici primi (nam qui antea hanc rem aggressi sunt philosophi eam quasi secundariam et quae grauioribus suis studiis opitularetur tractauerunt) linguam ipsam explorandam et perquirendam cum susciperent ut immensae eius copiae quodammodo imperare possent, leges et regulas coeperunt proponere, ex quibus in certa genera certasque species distribuerentur uerba omnia ita ut quaecunque uni ordini subiecta essent eisdem declinarentur rationibus. Qua in re primus quod scimus extitit Aristophanes Byzantius quode exactum seruauit testimonium Charisius p. 93 Putsch.: „huic (analogiae) Aristophanes quinque rationes dedit uel ut alii putant sex; primo ut eiusdem sint generis de quibus quaeritur, dein casus, tum exitus, quartum numeri syllabarum, item soni." Quae uerba (taceo enim de Lerschio phil. ling. p. 62) ne Nauckio quidem acutissimo Aristophanis sospitatori p. 270 sq. impedito ei uulgatae quae tunc erat scripturae corruptela contigit recte intellegere, quippe cum putaret haec praecepta esse de nominum analogia inde examinanda num eiusdem sint generis, casus, numeri, totidem syllabarum, eodem denique accentu instructa; id enim quod tertium legitur ut quod a posterioribus grammaticis additum in suspitionem uocauit. Ne multa: totius loci conexu et emendata qua nunc per Keilii diligentiam fruimur scriptura procul dubio euincitur, agi hic de analogia quorumlibet binorum uocabulorum constituenda; atque in uniuersum ualent sonus numeri syllabarum exitus (quem non modo Varro l. L. X, § 21 p. 243 Mueller. „ut sit . . exitu eodem" iam ab H. Keilio laudatus, tuetur, sed etiam consensus Caesaris in libris de analogia apud Pompei. comment. art. Donat. segm. XVIII c. 1: „exitus

syllabarum ut sit similis" et Herodiani *περὶ κλίσεως ὀνομάτων*[1]) apud Cramer. an. Oxon. IIII p. 333, a quo *τὸ ὅμοιον ἐν τοῖς ὀνόμασιν* esse dicitur *καταλήξει*[2]); generali igitur potestate „genus" accipiendum est, id quod etiam Varronis l. s. concordia confirmatur[3]).. Vnicum „casus" uerbum restat, cui si ea quae uulgo assignatur uis, omnia corruunt neque habent quomodo expediantur; itaque ni malis uerba corrupta putare et fortasse „casus" in „cliseos" mutare, mecum facies et arbitraberis casum accuratam esse interpretationem Graeci *πτῶσις* uerbi[4]), quod ab Aristophane de qualibet declinatione potuisse dici probatur diligenti de eius uocis usu disputatione C. E. A. Schmidtii *beitraege zur Geschichte d. gr. u. lat. gram.* p. 256 sq.[5]). His magistri praeceptis illustris discipulus Aristarchus id unum teste Charisio l. s. adiecit, ut ne unquam simplicia compositis aptaremus. Itaque eo ut solemnibus utar uocabulis tota res rediit, ut constituerentur *κανόνες* secundum quos uerba subtiliter in classes descripta declinarentur, ut analogia saepe explicatur *κανόνων ἀπόδοσις*, *κανόνων ἀποδεικτικός* similiter[6]). In casuum potissimum doctrina neruos suos contenderunt Aristarchei ut ait Varro l. s. VIII, 63 p. 188 ed. Mueller, rectissimeque Luebbert in nou. mus. Rhen. XI, p. 438 exordia Theodosii *κανό-*

---

1) Ex eo libro hausta sunt haec uerba, cf. Lehrs analect. grammat. p. 420.

2) Cf. etiam Sergius in Donati edit. II, p. 1847 Putsch.

3) Quanquam recte opinor ibi uerba „specie" et „genere" a librariis inter se commutata esse coniecit Luebbert sent. contr. V adnex. comment. pontifical.

4) Immo ipsum „casus" uerbum a Varrone l. L. VII, 110 p. 166 ed. Mueller „omnis operis de lingua Latina tris feci parteis, primo quemadmodum uocabula imposita essent rebus, secundum quemadmodum ea in casus declinarentur, tertio quemadmodum coniungerentur" uniuersa potestate de quauis uerborum omnium declinatione usurpatur.

5) Sextum illud fortasse licet diuinando addere *εἶδος* (cf. Bekker. an. Gr. II, p. 634 et 638) utrum *πρωτότυπον* an *παραγωγόν* sit uerbum, quod cum Romanus homo „speciem" interpretatus esset facillime inde oriri potuerunt turbae.

6) Etym. magn. u. *χίλιοι* p. 816, *Χάραξ περὶ ὀρθογραφίας* in cod. Taurin. CCLXI fol. 74 ap. Peyron., Cramer an. Oxon. IIII, p. 331.

νων εἰςαγωγικῶν περὶ κλίσεως ὀνομάτων in Bekker. an. Gr. III, p. 975 sq. ab Aristarcho repetiit. Verum enimuero negari nequit primum cum Aristarchum quamuis omnium consideratissime uersatum tum ceteros Alexandrinos nimis regularum strenuitatis studio abreptos esse ut peruersas leges linguae inculcarent — id quod quiuis harum rerum paululum gnarus sexcentis exemplis uidet comprobatum — deinde ne potuisse quidem ueras naturaque insitas linguae normas ea qua illi progrederentur uia pernosci cunctaque eorum studia ad irritum redigerentur necesse fuisse[1]).

Toti igitur huic rationi obnitendum esse credidit Crates, quem in duabus potissimum quas modo dixi rebus offendisse suspicor atque — de hoc enim solo seruata sunt testimonia — in nominibus declinandis proportionem conspici negauit, neque enim omnia totidem admittere casus ueque a similibus nominibus similiter declinatis similia fieri (frg. inc. sed. 2 et 3). Exorsus autem hac quoque in re a Varrone (frg. inc. sed. 4) perhibetur ex stoicorum doctrina et contra Aristarchum nixus esse fretus Chrysippi περὶ ἀνωμαλίας libris tribus; stoicorum igitur placita uel R. Schmidtio parum cognita breuiter delineem oportet. Ei licet existimarent linguam φύσει natam esse μιμουμένων τῶν πρώτων φωνῶν τὰ πράγματα καθ' ὧν τὰ ὀνόματα indeque στοιχεῖά τινα ἐτυμολογίας repeterent (Origenes c. Celsum I, c. 24), permulta tamen in ea hominum consuetudine et licentia turbata esse concesserunt (cf. August. princ. dial. c. 6) eamque inaequabilitatem docuerunt spectari et in πολυωνύμοις quae συνώνυμα appellarunt (cf. Simplic. in Arist. categ. fol. 8) παρωνύμοις[2]) μεταλήψει[3]) aliis[4]). Itaque eo processerunt ut distinguerent uerborum τὸ τῷ σημαινομένῳ δηλούμενον atque

1) In casuum doctrina perspexit id iam in ὀνοματικῷ suo componendo Herodianus (cf. Luebbert l. s. p. 441 sq.).

2) Cf. Galen. XIIII, p. 595 Kuehn., Simpl. in categ. fol. 6, Alexander in soph. elench. fol. 3.

3) Cf. Quintil. VIII, 6. Scripsit Cleanthes περὶ μεταλήψεως cf. Athen. XI, p. 467 et 471.

4) Accurateque in eas quae inde exortae sunt ἀμφιβολίας inquisiuerunt, cf. Prantl *gesch. d. logik* p. 459 sq.

τὸν τῷ τύπῳ τῆς φωνῆς χαρακτῆρα. Qua de re accurate audi disserentem Chaeremonem stoicum ap. Apollon. de coniunct. p. 515, 18: φαμέν τι πατρωνυμικὸν καὶ τὸ ἐν χαρακτῆρι πατρωνυμικὸν καὶ ἐν δηλουμένῳ καὶ ἔτι τὰ κτητικὰ καὶ ἄλλα πλεῖστα τοιαῦτα. Ὡς οὖν τῷ τύπῳ πατρωνυμικῷ προςκεχρημένον οὐ μὴν δηλουμένῳ πατρωνυμικὸν δηλοῦται ὥςπερ τὰ τύπῳ ἀρσενικὰ οὐ μὴν δηλουμένῳ ἀρσενικὰ καλεῖται κτλ. et ut magis etiam illustretur eorum sententia Apollon. de construct. p. 481, 28 ex mente stoicorum quos sese fere secutum esse dixit p. 480, 2 sermocinantem: καὶ ἐπ' ἄλλων ἔστιν ἐπινοῆσαι [ὅτι] τὰ αὐτὰ ὄντα μαχομένην πολλάκις ὀνομασίαν ἂν ἐδέξατο. Φαμὲν τὸ μάχομαι παθητικὸν καὶ δῆλον ὅτι τῷ τύπῳ τῆς φωνῆς· εἰ γὰρ ἀπὸ τοῦ δηλουμένου δῆλον ὅτι ἐνεργητικόν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ παιδίον οὐδέτερον διὰ τὸν τύπον, ἐπεὶ ἀμφότερόν ἐστι διὰ τὸ δηλούμενον . . . ἀλλὰ καὶ τὸ Θῆβαι πληθυντικὸν καὶ μία ἡ ὑποκειμένη πόλις[1]). Iam apparet quomodo Chrysippus in tribus libris περὶ τῆς ἀνωμαλίας πρὸς Δίωνα (cf. Laert. Diog. VII, 192) notari similes res dissimilibus uocabulis, similibus dissimiles dixerit[2]). Hinc igitur profectus est Crates, nec latet quam facile potuerit hac doctrina ad impugnandos Aristarcheos uti, id quod Varro quoque suo affirmat exemplo, qui in octauo libro ut demonstret anomaliam in declinandis uerbis re-

1) Pari ratione contra analogiam dimicauit Sext. Empir. adu. math. I, 154.

2) Sic explicanda sunt quae loquitur Chrysippus ap. Simplic. in Arist. categ. fol. 100: ὅτι ἐνίοτε μὲν οὐ στερητικὰ ὀνόματα στέρησιν δηλοῖ . . . ἐνίοτε δὲ στερητικὰ ὀνόματα οὐ στέρησιν δηλοῖ . . . πολλῆς δὲ οὔσης τῆς ἀνωμαλίας . . . ἐπεξῆλθεν αὐτήν. — Hac obseruatione id adepti sunt stoici ut possent uerba consociare solis formis respectis ualde a se discrepantia, re tamen arte inter se conexa, cf. Apollon. p. 515, 15: καί φησι Χαιρήμων ὁ στωικὸς ὡς κατά τι εἴησαν ἂν σύνδεσμοι (παραπληρωματικοί). σύνδεσμον γάρ φησι καὶ αὐτὴν τὴν φωνὴν [καὶ τὸ ἐξ αὐ]τῆς δηλούμενον, ᾧ λόγῳ καί τινα ἕτερα (scripsi pro τὰ ἡμέτερα) σχήματα, et p. 481, 25: ἠπορήθη πῶς σύνδεσμοι προκείμενοι (διαζευκτικοί quos primi stoici constituerunt cf. R. Schmidt p. 49, not. 70) [μαχομέ]νην ἔχοντες τὴν ἐξ αὐτῶν δύναμιν τῇ θέσει τοῦ ὀνόματος [εἴγε] τὸ συνδεῖν τῷ διαζευγνύειν μάχεται. ἔχεται ἀπολογίας [ἡ π]ροκειμένη ὡς καὶ ἐπ' ἄλλων κτλ.

gnare principio inaequabilitatem in fingendis nominibus obseruandam enarrat. Namque si constat et pluralem numerum dici de re una et masculum genus usurpari de femina similia, quidni licet progredi ratiocinando atque negare linguam in declinandis nominibus hic illic ἀνωμάλως uersatam posse omnino certis declinandi regulis coerceri[1]). Itaque Crates uiolenter illas linguae obtrusas praeposterecque fictas regulas aspernatus consultius duxit — quod fuit profecto in eis quae tunc erant grammaticae artis incunabulis — consuetudinem linguae subtiliter usquequaque obseruare.

Sola uero in ea quaestione num possent proponi certae fixaeque leges, ad quas uocabulorum declinatio exigeretur, constitit Aristarchi et Cratetis de analogia anomaliaque controuersia. Cuius rei planum et euidens documentum exhibent testes duo grauissimi, Gellius qui eo ipso loco quo Cratetem anomaliam, Aristarchum analogiam defensitasse narrat II, 25 ita loquitur: „ἀναλογία est similium similis declinatio . . ἀνωμαλία est inaequalitas declinationum consuetudinem sequens“, et Varro, qui non modo non nisi in uerbis declinandis analogiam a Cratete esse impugnatam tradit, sed ipse etiam omnibus argumentis in utramque partem perpensitatis hunc in modum uerba facit X, 74 p. 260 Mueller.: „analogiae non item ea definienda quae dirigitur ad naturam uerborum, atque illa quae ad usum loquendi. Nam quae prior, definienda sic: analogia est uerborum similium declinatio similis. Posterior sic: analogia est uerborum similium declinatio similis non repugnante consuetudine communi. Ad quam harum duarum

1) Varro ergo quem mire interpretatur Geppert grammat. categor. p. 22, ibi pro Aristarcheis pugnans paululum acerbius locutus potuit Cratetem dicere Chrysippi non peruidisse uoluntatem; namque explanauit sane et promouit Chrysippi sententiam quam ille suo tempore ne potuit quidem eo usque quo Crates propagare. Tamen omnino in ea re Chrysippum naturae magis quam fixis legibus obtemperasse docet Varro l. L. X, 59 p. 256 Mueller: nonnunquam alterum ex altero uidetur, ut Chrysippus scribit, quemadmodum pater ex filio et filius ex patre, neque minus in fornicibus propter sinistram dextra stat, quam propter dextram sinistra; quapropter et ex rectis casibus obliqui et ex obliquis recti et ex singularibus multitudinis et ex multitudinis singulares nonnunquam recuperari possunt.

ad extremum additum erit hoc: ex quadam parte: poetica analogia erit definita.".[1]) Quid quod ne potuit quidem ista disceptatio latius patere nec Crates pariter atque Sextus Empiricus I, 179 *τέχνην τὴν καλουμένην ἀναλογίαν δι' ἧς κατ' ἐκεῖνον ἡμᾶς τὸν ἑλληνισμὸν ἀναγκάζουσι διαλέγεσθαι*, in controuersiam uocare, neque stare ab eorum partibus qui ut ait Apollonius de syntax. I, 10 p. 36 *ἐκ τριβῆς τὰ σχήματα τῶν λέξεων παρειλήφασιν οὐ μὴν ἐκ δυνάμεως τῶν κατὰ παράδοσιν τῶν Ἑλλήνων καὶ τῆς συμπαρεπομένης ἐν αὐτοῖς ἀναλογίας.* Primum enim priores grammatici Alexandrini Aristophanes Byzantius Aristarchus Dionysius Thrax analogiam cognitam non habuerunt nisi spectatam eam in uerbis declinandis. Namque eam solam Aristophani in notitiam uenisse supra uidimus et Aristarchus secundum dilucidum Varronis testimonium *de aequabilitate quom scripsit uerborum similitudinem quodammodo in declinatione sequi iussit*[2]), denique Dionysius Thrax *τῆς ἀναλογίας ἐκλογισμόν* quartam grammaticae partem exhibuit, ex quo cogitur eum quoque tantum de proponendis declinandorum uerborum *κανόσι* cogitasse[3]). Deinde ut Crates in uniuersa lingua aequabilitatis leges dominari negauerit tantum abest ut certissimas in ea et subtilissimas posse perspici rationes censuerit, id quod et ex eis quae antea disputaui efficitur et in propatulo est consideranti stoicorum sententias, quas Cratetem hac quoque in re secutum esse par est credere. Stoici autem diligenter perscrutati sunt *ἑλληνισμόν* quem dixerunt esse *φράσιν ἀδιάπτωτον ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ* (Laert. Diog. VII, 59), contra *βαρβαρισμόν* notauerunt *λέξιν παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκι-*

---

1) Cf. Probi ars minor 7, p. 229 in Endlicheri anal. gramm. p. 229 analogia est ratio recta perseuerans per integram declinationis disciplinam . . . 8. annomalia est immiscens uel inmutans aut deficiens ratio per declinationem. Sergius in Donati edit. II, p. 1846. Putsch. analogia dicitur ratio declinationis nominum inter se omni parte similium.

2) Describit ibi Varro haud dubie totum libri Aristarchei consilium.

3) Neque aliter eum intellexerunt schol. Dionys. Thrac. p. 730 et 741.

μούντων[1]) *Ἑλλήνων* atque *σολοικισμὸν λόγον ἀκαταλλήλως συντεταγμένον*[2]) (Laert. Diog. l. s.).

Sed id quod circumspiciendum esse dixit R. Schmidt stoic. gram. p. 75, quomodo quam stoici utpote philosophi uniuerse tantum ac ueluti a priori circumscripserint artem eam Cratetei illustrarint exemplis ex ipsa lingua depromptis, id quamquam confido potuisse si ampliora de Cratetis doctrina testimonia aetatem tulissent luculenter demonstrari, ut nunc res est ne tenuibus quidem lineamentis licet adumbrare.

Neque uere me iudice ut id paucis percurram Preller de Praxiphane p. 13 sq. famosum hoc de analogia Pergamenos inter et Alexandrinos discrimen ad eos retulit qui his auctores extiterint stoicos et peripateticos philosophos. Nam Alexandrinorum analogiam aperte cum dicit respondere rationi ei qua peripatetici consuetudinem linguae uolgari et forensi usu temere fluctuantem limatumque illum ac politum *ἑλληνισμοῦ* sermonem condiderint suo se ipse gladio iugulat p. 10 not. 2 hac in re peripateticos cum stoicis consentire concedens. Deinde neque ex Aristotelis quodam studio neque inde quod in Alexandrino museo peripatetici nonnulli degerunt merito cum Prellero colligas Alexandrinos in disciplina grammatica excolenda peripateticos sibi proposuisse imitandos; praeter alios nimirum philosophos uel stoicus Sphaerus Bosporanus ibi aliquamdiu uersatus Cleanthesque ab ipso Ptolemaeo officiose illuc ut ueniret inuitatus est (cf. Laert. Diog. VII, 185, Athen. VIII, p. 354 e). Contra ex ipsorum stoicorum grammaticis placitis haud pauca illos hausisse ne is quidem infitias ire potest qui extremis tantum digitis Dionysii *τέχνην* attigerit cf. M. Schmidt in philolog. VIII, p. 515 sq.

Toto uero coelo discrepuerunt Alexandrini a stoicis ea in re, in qua prorsus eorum uestigiis institit Crates Mallotes, in pertractando Homero ceterisque scriptoribus.

1) Sic correxit pro *εὐδαιμονούντων* Cobet.

2) Nec desunt nonnulla eorum studiorum uestigia, cf. Cramer. an. Paris. IIII, p. 190, Zonaras u. *σολοικίζειν*, Eustath. in Il. p. 1334, 13, dissertatio *περὶ βαρβαρισμοῦ κατὰ πλάτος* ab Valckenario ad Ammonium p. 193—197 adnexa et *περὶ σολοικισμοῦ κατὰ πλάτος* ibid. p. 197—204, cf. R. Schmidt stoic. gramm. p. 50 not. 72.

Atque Alexandrini quidem in Homero — *γραμματικοὶ δὲ οὐκ ἄλλως εἰς τέλος εἰ μὴ δι' αὐτοῦ* — oppido uersicolorem quam eius uerba multorum saeculorum incuria induerant atque inaequabilem uestem ad aequabilitatis certas normas diligentissime poetae consuetudine obseruata redigere summa opera studuerunt accuratisque finibus poetae condonandam licentiam limitauerunt, cetera quae statutis legibus repugnarent uel damnauerunt uel correxerunt. Quo in munere explendo nemo nescit principem extitisse Zenodotum, secutum esse Aristophanem Byzantium, omnium denique maxime strenuum aequabilitatis uindicem prodiisse Aristarchum. Criticis autem curis plurimum operae suae absumi noluerunt et quamuis ea quoque quae ad explicandum poetam possent conferre curarent, nullam tamen censuerunt esse Homeri doctrinam spreueruntque omnes machinas allegorice interpretando poetae uerba ad eruditioris aetatis scientiam accommodandi[1]).

Hanc Aristarchi sobriam rationem flocci fecit Crates ut qui maxime abiens in contrariam partem et obsecutus stoicis qui plane aliud in interpretandis poetis persecuti consilium grammaticas illas nugas aspernati licentiam poetae permiserunt fere quamlibet[2]). Et hanc ob caussam Aristarcheos irrisit Herodicus Cratetis satelles mordacissimo epigrammate apud Athen. V, p. 222 a:

1) Aristarchus potissimum longe abiecit totam istam nugiuendam rationem cf. schol. *E* 385, Eustath. in Iliad. p. 3, 40, 614; maxime igitur demiratus sum quod uidi Krischium theologum. I, p. 394 circumspecti ceteroquin iudicii uirum loquentem: „Aristarch, der . . nur in soweit die allegorische deutung zulassen wollte, als sie sich etymologisch rechtfertigen lasse, cf. Eustath. in Il. p. 561". Quae qualia sint in illis temporibus quibus etymologia nihil non potuerit demonstrari elucet; sed magis etiam miratus sum cum euoluissem Eustathium, quippe in cuius uerbis eius opinionis nec uola nec uestigium insit: *ἡ δὲ ἀλληγορία, εἰ καὶ ὁ Ἀρίσταρχος ἠξίου ὡς προεγράφη μηδέν τι τῶν παρὰ τῇ ποιήσει μυθικῶν περιεργάζεσθαι ἀλληγορικῶς ἔξω τῶν φραζομένων, τὸν μὲν Ἡρακλέα εἰς τὸν λόγον ἐκλαμβάνει διὰ τὸ ἐπίηρον αὐτοῦ καὶ τὸ εὐκλέες κτλ.*

2) Velut *A* 129 Chrysippus opinatus est *σολοικίζειν τὸν ποιητὴν ἀντὶ ἑνικοῦ πληθυντικῷ χρησάμενον ῥήματι· τὸ γὰρ δῷσι* (sic in codice *A* teste Pluygersio de schol. retract. edit. p. 11) . . *πληθυντι-*

φεύγετ' Ἀριστάρχειοι ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἑλλάδα τῆς ξουθῆς δειλότεροι κεμάδος
γωνιοβόμβυκες μονοσύλλαβοι οἷσι μέμηλεν
τὸ σφὶν καὶ σφῶϊν καὶ τὸ μὶν ἠδὲ τὸ νίν.

Primum igitur noluit Crates traditam Homeri uerborum expelli dissimilitudinem neque recte omnino poetae uerba putauit ad trutinam illam Aristarchearum regularum praepropere saepe excogitatarum exigi, nedum admittendam esse uiolentam eorum corrigendi rationem. Atque in Homero concedendum est rem ita esse comparatam ut ab eo praecipue qui diuersissimae aetatis eius carminum originem reputet in utramque partem possit disputari, id quod insigni nuper exemplo uides declaratum Imman. Bekkeri et Lud. Friedlaenderi. Quorum ille cum in nouissima sua editione adornanda se analogia tamquam duce spectata et probata etiam confidentius fretum a recepta uolgo lectione longius quam ullum ante se editorem discessisse confessus esset, hic contra in diiudicanda eius editione in progr. Regiomont. hiberno 1859 p. 4 hoc apparere dixit orationis progredientis sensimque mutatae uestigia Homeri carminibus non pauca impressa esse quae tantum abesse ut delenda existimaret ut diligentissime attendenda et seruanda uiderentur. Porro negari nequit Aristarchum nonnumquam nimis rigidum Homeri uerborum inaequabilitatis censorem se praebuisse, quam rem cum tetigerint Nitzsch *Anmerkung. z. Odyss.* uol. I, p. 40[1]). Nauck Aristoph. Byz. p. 56 n. 75 et p. 34, M. Schmidt in philolog. VIIII, p. 426 sq., 752 sq. et in Iahnii annal. 71, p. 220 sq., ipse nunc mitto alias fortasse copiosius explanaturus hic contentus unicum protulisse in quo Cratetem ei nec immerito aduersatum esse putem. *I* 464 Aristarchus scripturam ab omnibus quod scimus codicibus exhibitam *ἀντιόωντες* correxit in *ἀμφὶς ἐόντες* quippe cum potestatem uocis *ἀντιόωντες* in *Ψ* 643 usurpatam huc non quadrare cerneret (cf. schol. D Il. I 464); Crates contra — si modo recte

---

κόν (cf. schol. l. s.) et *Α* 152 *δεῦρο* explicauit „hic" (cf. Zonar. p. 491, etym. magn. p. 259, schol. Il. l. s., Lehrs. Arist. p. 139).

1) Cf. schol. quod ex cod. Vatic. 919 Baumeister ad *K* 408 protulit in philolog. XI, p. 169 et Cramer an. Paris. III, p. 13.

inde quod Dionysius Thrax *ἐν τῷ πρὸς Κράτητα* hanc Aristarchi coniecturam explicauit id efficitur — *ἀντιόωντες* lectionem defendendam sibi sumpsit neque is inepte egit cf. M. Schmidt in philolog. VII, p. 376[1]. Nec non potuit Crateti Aristarchus uideri multa arbitratu suo atque inconsultius euectus proiecisse[2]. Quamuis enim opinatus esset Homeri libidinem casus nominum uerborumque tempora et modos permutandi quam latissime uagatam esse, eos tamen qui numeros a poeta permisceri non temere existimarunt quorum praeter Eratosthenem et Zenodotum Alexandrinum Crates fuit (cf. schol. *Ω* 282 *οἱ ἐθέλοντες συγχεῖσθαι τὰ δυικὰ παρ' Ὁμήρῳ Ἐρατοσθένης καὶ Κράτης*[3]) acerrime impugnauit cf. Friedlaender Aristonic. p. 15 n. 2; idcirco igitur Herodicus pupugit Aristarcheos *οἶσι μέμηλε τὸ σφὶν καὶ σφωίν.* Seruasse uero Cratetem fideliter ea quae antiquitus tradita accepisset nullam ut dictionis concinnitas plana restitueretur largitum mutationem, qui testetur fideiussorem prouoco anecdotum Romanum I, p. 8 ed. Osann et anecdotum Venetum a Siebenkeesio et Villoisonio editum. Ibi cum haec legantur uerba: *ἡ δὲ περιστιγμένη διπλῆ. πρὸς τὰς γραφὰς* (*γραφὰς* om. Venet.) *τὰς Ζηνοδότου* (*Ζηνοδοτείας* Rom.) *καὶ Κράτητος* (*γραφὰς* add. Venet.) *καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου καὶ τὰς διορθώσεις αὐτοῦ* (*καὶ τὰς δ. αὐ.* om. Venet.) et origo additamenti *καὶ Κράτητος* usque ad *Ἀριστάρχου* Aristarchi iniecta mentione[4] manifeste euincatur — profectum nimirum est ab homine qui eis in locis quibus Zenodoti scripturae castigarentur laudari uidit

---

1) Nihil certi audeo pronuntiare de *Θ* 513, ubi teste scholio Parmeniscus *ἐν τῷ ά πρὸς Κράτητα* narrat Aristarchum pro *τούτων* scripsisse *κείνων* commotum fortasse caussis eis quas affert Apollon. de pronomine p. 72 B.

2) Nolo putari me non Aristarchi artem paene diuinam et merita immortalia admirari: sed auxiliandum nunc est Crateti, cui cum satis male acciderit ut Aristarchum aduersarium nactus sit ne ob huius praeclarum ingenii acumen nimis despiciatur cauendum est.

3) Haec mirum quomodo interpretatus sit B. Thiersch *Zeitalter* etc. p. 42 sq.; pro *Ἐρατοσθένης* substituit *Ἀριστοφάνης* Hecker in philolog. V, p. 430.

4) Nam supra modum errant Duentzer Zenodot. p. 6 n. 24 et Osann an. Roman. p. 12.

Aristarchi qui castigauit Cratetisque nomina —, haud improbabiliter ni fallor animi suspicatus sum, posse inde colligi, Cratetem ubicunque seruasset uolgatam et ab Aristarcho ob inaequabilitatem explosam lectionem saepe obsecutum esse Zenodoto [1]; de Zenodoto enim prorsus adsentior Nauckio Aristoph. Byz. p. 56 n. 75, cuius sententiam haud paucis exemplis fulciri posse arbitror, sed nunc mitto hanc quoque quaestionem cum altera illa quam supra commemoraui proximo necessitudinis uinculo consociatam.

Similiter uero in Aristophane tractando Cratetem uersatum esse discimus ex frg. 7 eius *περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου* libri, quo narratur in equit. u. 631 *σίναπυ* reliquisse uocem quamuis Atheniensibus semper *νᾶπυ* locutis [2]) inauditam. Pariter Herodicus Aristarcheis *τὸ μὶν ἠδὲ τὸ νίν* curae esse iactans significat *μίν* formam ab eis solam in Homero *νίν* solam in tragicis utramque in Pindaro concessam promiscue a Crateteis adhibitas esse. Indidem postremo aliqua certe ex parte repetas quod Zenodotus Mallotes et Demetrius Ixion Aristarchi *ἀθετήσεις* acerbe refutarunt, et Cratetei nonnullos ab Alexandrinis expulsos uersus tuiti sunt, ueluti Crates versum post *Ξ* 246 ponendum (cf. frg.) ac Zenodotus *N* 731 (cf. schol. et Eusthat. p. 975, 10): ex codicibus enim hos ab eis receptos esse neque impudenter affictos censeo. Namque ab Aristarcho eos quoque uersus constat obelo esse notatos in quibus sermo a consuetudine poetae discreparet; attamen bene scio accessisse huc ineptam quandam curam ne quid membrum detraheretur sacrosancto Homeri corpori [3]).

E contrario interpretando se totum Crates dedit Homero, quoniam poetae non *ψυχαγωγίαν* tantum esse uoluit sed *διδασκαλίαν* etiam stoicorum prorsus secutus exemplar. Stoici

---

1) Alienissimas in partes discessit W. Ribbeck quaest. Zenod. p. 12 et in Iahnii annal. 66, p. 15.

2) Cf. Lobeck Phrynich. p. 288.

3) Ceterum ne putes me ex paucissimis quae extant indiciis audacius uniuersum quoddam duxisse iudicium, addo idem posse perspici in Crateteis, quorum et Herodicus *N* 29 et Demetrius Ixion *Α* 513 Homero intulerunt quem ei ignotum esse credidit Aristarchus articulum germanum (cf. schol. l. s.).

enim qui ποίησιν censerent esse σημαντικὸν ποίημα μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπίνων (Laert. Diog. VII, 60) quidquid et de moribus — hac enim in re cynici praeierunt — et de rebus physicis geographicis de unaquaque denique doctrina praecipiebant uersu aliquo et exemplo cum ex ceteris poetis tum ex τῷ ποιητῇ depromptis confirmauere[1]; cf. Phaedrus de nat. deor. col. III, 16 p. 18 ed. Petersen.: (Χρύσιππος) ἐν . . τῷ δευτέρ[ῳ] (περὶ θεῶν) τά τε εἰς Ὀρφέα [καὶ Μ]ουσαῖον ἀναφερ[όμεν]α καὶ [τ]ὰ παρ' [Ὁ]μήρῳ καὶ Ἡσιόδ[ῳ] καὶ Εὐρι[πί]δῃ καὶ ποιηταῖς ἄλλοις [ὡ]ς κα[ὶ] Κλεάνθης [π]ειρᾶτα[ι συ]νοικειοῦ[ν] ταῖς δόξαις αὐτοῦ. Atque eo audaciae progressi sunt ut cum iustorum interpretum partes susciperent accommodando et adoptando poetis doctrinas suas inculcare πανδημεί studerent nullis machinis ne allegoriae[2]) quidem nec corrigendi periculis spretis. Earum hariolationum expromere licet documenta haud pauca, paucissima tantum hic delibabo. Θ 19 stoici τὴν Διὸς ἀπειλὴν εἰς μόνην ἀλληγοροῦσιν ἐκπύρωσιν. ἐπεὶ γὰρ Ζεὺς μὲν ὁ αἰθὴρ, χρυσῆ δέ, φασι, σειρὰ ὁ ἥλιος, εἰς ὃν κάτωθεν ὥςπερ εἰς καρδίαν ἀποχεῖται ἀναδιδομένη ἡ τῶν ὑγρῶν ἀναθυμίασις, ὅταν χρόνῳ ποτὲ ἀνελκομένη δι' ἀναθυμιάσεως, ὡς εἰκὸς, ἡ θάλασσα ἐπιλίπῃ, τότε δὴ τὸ πῦρ τροφῆς ἐφιέμενον ἀνελκύσει τὰ ἐν τῷ βάθει τῆς γῆς ὑγρὰ καὶ λύσει καὶ αὐτὴν τὴν γῆν. καὶ ὁ μὲν Ζεὺς οὐ καθελκυσθήσεται, τὰ δὲ κάτω μετέωρα γένηται τοῦ πυρὸς κατισχύσαντος cf. Eustath. in Il. p. 695, 12. Dein δ 84 Menelaum non ad Erembos sed ad Arabas pro-

1) Impudentissimum hac in re Chrysippus se gessit cf. Baguet Chrysipp. p. 30 sq., Bergk de Chysipp. περὶ ἀναφατικῶν p. 34, Kleine de Stesichoro p. 34, Krische theolog. p. 390; p. 479 sq. 487 sq. Omnium lubentissime Homerum in partes uocarunt cf. Cramer an. Paris. III, p. 379, Eustath. in Il. p. 261, 23, Schol. Leidens. Α 115, Pseudoplut. de uita Homeri c. 127; 130.

2) Cf. Dio Chrysost. LIII, 4: γέγραφε . . Ζήνων ὁ φιλόσοφος εἴς τε τὴν Ἰλιάδα καὶ τὴν Ὀδυσσείαν καὶ περὶ τοῦ Μαργίτου δὲ . . . διδάσκων ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέγραφεν . . ἔτι δὲ καὶ Περσαῖος ὁ τοῦ Ζήνωνος κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν γέγραφε.

fectum esse iubet Zeno cf. Strabo I, p. 41, II, p. 299, XVI, p. 784. Ac *Π* 233 Iouem Ἀναδωδωναῖον appellari Cleanthes opinatus est ὡς τὸν ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιώμενον ἀέρα διὰ τὴν ἀνάδοσιν cf. Plutarch. de audiend. poet. p. 31 d[1]). Ex his igitur riuolis agellos suos irrigauit atque cum adhortationes uirtutis ethicasque ἀφορμάς elicuit ex Homero (cf. frg. ad *Ω* 494), tum omnino eius carmina uariae stoicorum doctrinae quasi supellectilem quandam reddidit Crates quode dixit Strabo III, p. 157: τινὲς δὲ ταύταις ταῖς ἱστορίαις (de Vlixis erroribus narratis) πιστεύσαντες καὶ τῇ πολυμαθίᾳ τοῦ ποιητοῦ καὶ πρὸς ἐπιστημονικὰς ὑποθέσεις ἔτρεψαν τὴν Ὁμήρου ποίησιν, καθάπερ Κράτης τε ὁ Μαλλώτης ἐποίησε καὶ ἄλλοι τινές. οἱ δ' οὕτως ἀγροίκως ἐδέξαντο τὴν ἐπιχείρησιν τὴν τοιαύτην, ὥστε οὐ μόνον τὸν ποιητὴν σκαπανέως ἢ θεριστοῦ δίκην ἐκ πάσης τῆς τοιαύτης ἐπιστήμης ἐξέβαλον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἁψαμένους τῆς τοιαύτης πραγματείας μαινομένους ὑπέλαβον. Atque primum eximia uanitate alleuit Homero quamcunque ex stoicorum doctrina de rebus geographicis traxit opinionem[2]). Cleanthem enim secutus (cf. Geminus elem. astron. p. 52 a ap. Petau. p. 65 ed. Halma, Macrob. saturn. I, 23) oceanum credidit sub plaga usta effusum esse circuli in modum circa uicinam utramque zonam moderatam (cf. Strabo I, p. 31), ac *gemino eius ambitu terram circumflui, ab oriente uero duos sinus refundi unum ad extremitatem septentrionis ad australis alterum: rursusque ab occidente duo pariter enasci sinus qui usque ad ambas quas supra diximus extremitates refusi occurrerent ab oriente demissis, et dum ui summa et impetu immaniore miscerentur inuicemque se ferirent, ex ipsa aquarum collisione*

---

1) Similes Zenonis et Chrysippi Hesiodo physica sua placita intrudentium halucinationes congesserunt Krische theolog. p. 394 sq. Muetzell de emend. theog. Hesiod. p. 280. De Chrysippea Pindari allegorica interpretatione uide schol. Isthm. II, 58; III, 29.

2) In adumbranda hac Cratetis geographica doctrina tantum non secutus sum Luebbertium in nou. mus. Rhen. XI, p. 429 sq., qui tam strenue prouinciam susceptam administrauit, ut fere nihil quod addi possit reliquerit; breuiter ante eum rem tetigerat I. H. Voss *Kritische Blaetter* uol. II, p. 132 sq.

nasci illam famosam oceani accessionem pariter et recessionem[1]). Temperatorum autem cingulorum utrumque oceano axes coniungente dirimi in partes duas superam et inferam ita ut quattuor habitatae essent zonae quarum primam superam septentrionalem tenere homines notos alteram inferam septentrionalem *περιοίκους* tertiam australem superam *ἀντεύκρατον ἀντοίκους* quartam inferam australem *ἀντίποδας* (cf. Strabo I, p. 5; Cleomedes p. 19 sq. ed. Baké)[2]). Hanc igitur totam doctrinam iam ab Homero praeceptam esse sibi persuasit Crates: id quod aperte demonstrant eius eae reliquiae quas apposui ad *α* 23 ubi Aethiopas in terminis maxime ad meridiem uersus spectantibus orbis temperati et pariter in *ἀντευκράτῳ* cingulo sitos oceano dissociari nugatus est[3]), et ad *μ* 1 et 236 sq.[4]). Deinde ab Homero *κ* 86 (cf. frg.) fabulatur intellectam esse regionem prope axes sitam in qua dies longissimus uiginti horas quattuor tantum nox duraret,[5]) et *λ* 19 Cerberiorum domicilia ab eo posita esse in illa terra in qua septentrio *κατὰ κορυφήν* collocata conspiciatur, quae per sex menses a sole non collustratur et per reliquos sex interiectis densis nebulis eius luce caret; ac Tartarum cui nec solis lux nec uentorum beneficium contingat a poeta *Θ* 478

---

1) Hanc Macrobii comm. somn. Scipion. II, 9, 1 sententiam Cratetis esse quod tantum suspicatus est Luebbert p. 431 summa ueritatis cum specie affirmauerim propter Stobaei qui illum fugit locum (cf. frg. geograph. 2), ubi *τὸν ἀντισπασμὸν τῆς θαλάττης* caussam accessus et recessus maris incusat, quode eum impugnauit Seleucus Babylonius *ὁ μαθηματικός* i. e. astronomus de quo dixit Vrlichs in nou. mus. Rhen. XI, p. 293 *ἀντιγεγραφὼς τῷ Κράτητι* cf. Meineke Stob. flor. IIII, p. 244.

2) Hanc omnem Cleomedis disputationem Cratetis esse efficitur eius ap. Strab. I, p. 5 et 31 uerbis.

3) Nullus uero dubito collato Strabone I, p. 3 et 4 quin *Σ* 399 *ἀψόῤῥοον Ὠκεανόν* et *μ* 236 (cf. schol. l. s.) de accessu recessuque maris interpretatus sit.

4) Considera contra egregiam Aristarchi ibidem probatam sobrietatem. Cf. Lehrs Aristarch. p. 256.

5) Quod quid Thulen a Cratete denotatam esse coniectura haud improbabili ex Ptolemae ialmag. p. 87 ed. Halma expiscatus est Luebbert p. 435.

ὑπὸ τοῖς πόλοις iacentem credi[1]). Porro Cratetem cum Menelaum ab Homero per fretum Gaditanum usque in Indiam nauigasse fictum esse putaret[2]) non circum Africam — id enim putauit Lehrs Aristarch. p. 247 — sed ab oriente ad occidentem uersus terram ab eo circumnauigatam esse cogitasse apprime sagaciter suspicatur Luebbert p. 437, accedere autem dicit quo egregie stabiliatur suspitio quod Crates temporis computationem accurate respexisse narretur. Namque si Crates terrae circuitum 252 milium stadiorum cum Eratosthene statuerit septem per quos Menelaus nauigauerit 360 dierum annos perfecte expleri ita ut existimetur nauigasse cottidie centena stadia, (quem numerum summatim comprehensum Crateti probatum esse haud abhorrere a uerisimilitudine), per reliquos autem 35 dies res Phari gestas esse (*δ* 360 sq., 580 sq.), itaque primo octaui anni die Spartam aduenisse[3]). De quattuor postremo orbis terrae regionibus ab Homero *κ* 190 Aristarchi simplicem explicationem (cf. Lehrs Aristarch. p. 177) aspernatus cogitatum esse narrat cf. frg. l. s. Nec minus in chorographia a ueritate aberrauit ab Homero *γ* 293 scopulum Gortyniae cui *Λισσήν* nomen esset (cf. Hoeck Creta I, p. 410 sq.) dici arbitratus.

Pergo ad ea quibus Homerum astronomum esse demonstrasse sibi uisus est. Ab eo igitur non modo *Λ* 32 quinque cingulos *ἀρκτικὸν θερινὸν τροπικὸν ἰσημερινὸν χειμηρινὸν ἀνταρκτικόν* tum *κολούρους γαλαξίαν ζῳδιακὸν ὁρίζοντα* significatos esse uoluit, sed etiam *μ* 62 accuratam de Pleiadibus doctrinam[4])

---

1) Stoicis nimirum placuit *Ἅιδην* esse *τὸν σκοτεινὸν ἀέρα* cf. Phaedr. de nat. deor. col. III, 3. Cornut. p. 14 ed. Osann.

2) Quo de loco quid Aristarchus censuerit non satis liquet cf. Lehrs Aristarch. p. 255.

3) Ac potuit Luebbert coniecturae suae aliquid firmamenti inde adstruere, quod Strabo negat Cratetis opinionem *πρὸς ὑποθέσεις τὰς μαθηματικάς* utilem esse et constat Eratosthenis terrae circuitus computationem a Strabone p. 63 sq. esse reiectam.

4) De qua cf. schol. Arat. 254 sq. Eustath. in Il. p. 1155, 51 et 56 sq. et Welcker *Griechische Goetterlehre* I, p. 69.

explanatam. Quin stoicum de nocte tamquam terrae umbra commentum[1]) poetae *K* 394 assignauit.

Verum ad consilium suum perpetrandum uel allegorica interpretatione irretiri se passus est Crates, quod non dispicio cur negauerit Nitzsch in Hallens. litter. ephem. 1831, p. 103. An etiam magis allegoricam desideras interpretationem quam illam quam indulsit sibi grammaticus ad *Λ* 32 explicandum? quid quod ad *μ* 62 hariolatus est[2]) ambrosia Ioui a Pleiadibus delata significari aquam solis nutrimentum? nonne agnoscis hominem stoicum qui placitum suum Iouem esse solem, solem *ἄναμμα ἐκ θαλάττης* marisque exhalationibus ali (cf. Krische theologum. p. 386) diuini poetae uerbis argute inferserit?[3]) Quidni? apparet scilicet omnibus numeris absolutum philosophum stoicum esse Maeonidam quippe qui stoicorum ex dogmatis (cf. Krische theolog. I, p. 388. Osann ad Cornut. p. 236 sq. Villoison theolog. phys. stoic. p. 429 sq.) edisserat Apollinem esse solem, Iunonem aerem *Σ* 239[4]), Iouemque coelum *T* 357; quin etiam *O* 193 subtiliter de quattuor elementis personisque a dis ad eorum partes explendas susceptis disputans plane stoicas proferat opiniones (cf. Villoison phys. theolog. stoic. p. 435. 514. 515. I. Lipsius physiol. stoic. lib. II diss. 11, tom. IIII, p. 922 sq. ed. Vesal. 1675)[5]).

---

1) Quod stoicum esse docet Cleomedes p. 74 Bake.

2) Ea enim quae huc ex scholiis adscripsi non possunt non esse disputata a Cratete quippe quem *Πελειάδας* Pleiades explicasse sciamus. Pleiades autem saepe esse *Πελειάδας* dictas multis conicio eum exposuisse et praeter alios scriptores aeque atque Asclepiadem Myrleanum de eadem re disserentem (cf. Lehrs de Asclepiade Myrl. p. 440) Pindarum quoque laudasse eiusque verba Nem. II, 16 data occasione correxisse.

3) Nimis tamen uiolenter in Eustath. in Il. 475, 50 similia tradente pro Aristotelis nomine Cratetis substituit Bake ad Cleomed. p. 335 sq.

4) Quamquam enim Eustathius suopte arbitratu ea quae in scholiis de Agathocle perhibentur ad Cratetem uidetur rettulisse, eadem tamen fere hic probauerit necesse est.

5) Sententiam Cratetis eo modo quo mutilum scholium A Il. *O* 193 suppleui recte redintegratam esse uereque ea quae in scholiis V et ABD l. s. disputata sunt ad eam resuscitandam posse adhiberi sine ulla dubitatione affirmauerim.

Scrupulus igitur omnis num Crateti adsignandum sit ineptissimum illud portentum quod ad *A* 591 sq. adscripsi animo euellendus est; scholiastae enim Lipsiensi qui *φιλοσοφίαν* philosopho tribuendam esse ratiocinatus nec Cratetem philosophum nisi cynicum cognitum habens ad *Κράτητος* nomen *τοῦ Θηβαίου* adiecit, cui integram fidem habuerunt Thiersch p. 19 sq. et Krische theolog. p. 245, omnem eam derogandam esse uerissime contendit Mehler in Heraclit. alleg. p. 58, cum a cynici ingenio tales nugae mathematicae sint alienissimae[1]).

Par uero fuit poetam qui nihil non certo docendi consilio dixisset nusquam pronuntiasse quae physicae aliiue doctrinae nedum quae sanae rationi uel honestis moribus repugnarent; ea igitur omnia in quibus propter has caussas offendendum esset uel artificio interpretandi allegorica potissimum interpretatione aduocata[2]) uel emendando sustulit Crates. Id quod luculenter probatur eis quae adscripsi ad *Σ* 192 hilariter ea a Wolfio proleg. Homer. p. CCLXXIX not. 68 irrisa, ad *λ* 322 ubi ne inferorum iudex *ὀλοόφρων* esset duos esse Minoas finxit, *δ* 611 ubi religioni ducens quod nimis libere Telemachus Menelaum hospitem donum rogasset pro *ἀγαθοῖο* scripsit *ὀλοοῖο*, *M* 25 ubi deorum gloriae auxiliandum esse putauit, denique *Σ* 488 ubi astronomiae exactam scientiam Homero uel correctione adhibita insinuauit.

Eadem autem ratione Crates uersatus est in commentando Hesiodo cuius theog. u. 126 uerbis stoicorum (cf. Plut. plac. phil. III, 10, 1 Galen. hist. phil. XIIII, p. 293 Kuehn.) terram esse globosam docentium decretum ingessit Zenonis uestigia premens

1) Vide sis ea quae de cynicis disputaui De Timone etc. p. 33 sq. Namque ut cynicos allegoricam interpretandi rationem admisisse constat et Dion. Chrysost. LIII, 4 testimonio — argutius enim quam uerius de eo disputauit Vsener quaest. Anaxim. p. 15 n. 4 — et Diogenis Medeae uigoris restituti seruata a Stobaeo serm. XXVIIII, 92, tom. II, p. 18 ed. Meineke explicatione, ita in rebus ethicis constiterunt nusquam ad physicas mathematicasque progressi.

2) Simili ratione iam Zeno hoc commento usus est cf. Dio Chrysost. LIII, 4: *ὁ δὲ Ζήνων οὐδὲν τῶν Ὁμήρου ψέγει ἅμα διηγούμενος καὶ διδάσκων ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέγραφεν.*

(cf. Krische p. 396); et theog. u. 142[1]) poetae ne a se ipse dissideret ueteratorie consulendum esse duxit. Item ab Arato Iouem coelum aeraue dictum esse et stoicorum perhibentium uocem esse aera percussum[2]) opinionem significatam esse est argutatus.

Relicum est ut breuiter quibus praeterea in rebus Aristarchus et Crates in Homeri uerbis explicandis scribendisque aduersa fronte inter se pugnauerint enarrem. Ac primum quidem ut taceam Iliadis initium quode obstinate ab eis disceptatum esse opinatur Osann anecd. Roman. p. 297, Apollinem a Paeane deorum medico diuersum esse obseruauit Aristarchus in schol. *E* 398 (cf. Lehrs Arist. p. 181), Crates contra utrumque eundem esse uoluit in schol. *O* 365; itaque Zenodotus Mallotes studiosissimus Cratetis armiger, qui cum Crates (schol. *A* 591) Homerum Chaldaea uoce usum esse dixisset Homerum ilico Chaldaeum reddidit (schol. *Ψ* 79) et de *διὰ σπιδέος* scriptura auxie cum magistro fecit (cf. Cratetis frg. ad *A* 457)[3]), hac quoque in re praeceptori adstipulatus (cf. schol. *O* 262. Eustath. p. 1014, 60) singulari libello quem *Παιηονίαν* inscriptum fuisse conicio *sub nomine Naucratis facit disserere Aristarchios qui putant alium Paeeona* (sic correxit Schneidewin in philolog. II, p. 764 pro codicis scriptura *Paetona*) *esse alium Apollinem, ipse eundem nec diuersum multis docet.*[4]) Quas suas sententias ut fulcirent *O* 365 Aristarchus *ἤϊε ἀπὸ τῆς ἕσεως τῶν βελῶν* Crates *ἤϊε ἀπὸ τῆς ἰάσεως* (cf. schol. l. s.) scripsit. Deinde Aristarchus naues Graecorum uno semicirculari ordine positas fuisse statuit in schol. *Ξ* 35 (cf. Lehrs Arist. p. 231), Crates uero duobus ordinibus ut contestatur Autochthon schol. *Ξ* 31, quod aeque atque Eustath. p. 965, 36 peruerse intellexit Wegener p. 135 n. 12, quamquam et reapse et Herodiani ad *Ξ* 32 adnotatione euincitur, scripsisse Autochthonem, non recte sibi uideri Cratetem

1) Male intellexit Marckscheffel Hesiodi etc. frg. p. 126. cf. Goettling proleg. ad Hesiod. p. LXIX.

2) Cf. R. Schmidt stoic. gramm. p. 16.

3) Fallitur igitur me iudice Duentzer Zenodot. p. 30 et 54.

4) Schol. Veron. Vergil. Aen. XI, 738 cf. Schneidewin l. s. Duentzer in Iahnii annal. 58 p. 9. Osann quaest. Homer. I, p. 19.

naues ἐν διστιχίᾳ esse opinari, namque si res ita sese haberet Homerum dixisse Ξ 31 τὰς μὲν γὰρ προτέρας neque τὰς μὲν γὰρ πρώτας ac Ο 686 τῶν προτέρων nec τῶν πρωτέων[1]). Tum Vlixem in externo mari errasse censuit Crates, Aristarchus in interno (cf. Gellius XIIII, 6)[2]). Postremo ut uno conspectu missis ambagibus cetera complectar Aristarchus scripsit Α 591 (cf. schol.) βηλός (cf. Lehrs Ar. p. 310) Crates βῆλος, Φ 223 (cf. schol.) A. τυμβοχορῆσ' i. e. τυμβοχοῆσαι C. τυμβοχόης quam scripturam exhibuit codex Eustathii p. 1238, 17, δ 260 (cf. schol.) A. ἐπειὴ δή[3]) C. ἐπεὶ ἢ δή, λ 14 (cf. schol.) A. Κιμμερίων (?)[4]) C. Κερβερίων, ξ 12 (cf. schol.) A. τὸ μέλαν δρυός i. e. τὸν φλοῦν δρυός[5]) C. μελάνδρυον i. e. τὴν δασύτητα τῶν φύλλων; atque explicauit Ι 169 (cf. schol.) ἔπειτα A. μετὰ ταῦτα (cf. Lehrs Ar. p. 153 sq.) C. δή, Ν 359 (cf. schol. A Il. Ν 359 schol. BLV ibid. 358) ἐπ' ἀμφοτέροις A. τὸ πέρας τῆς ἔριδος καὶ πάλιν τὸ τοῦ πολέμου λαβόντες καὶ ἐπαλλάξαντες ἐπ' ἀμφοτέροις ὥσπερ οἱ τὰ ἅμματα ποιοῦντες τόδε ἐπὶ τόδε C. ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν στρατευμάτων, Ψ 679 (cf. schol.) ὅς ποτε Θήβας ἦλθεν A. ἐπὶ τοῦ Μηκιστέως ἀκούει C. ἐπὶ τοῦ Εὐρυάλου, α 320 (cf. schol.) ἀνοπαῖα A. ὄρνεον (cf. Lehrs Ar. p. 312) C. τετρημένην κεραμίδα, κ 3 (cf. Apoll. lex. p. 139 Eustath. p. 1644, 51) πλωτῇ A. κινουμένῃ καὶ φορητῇ C. πλεομένῃ, μ 89 (cf. schol.) ἄωροι A. ἄκωλοι C. ἀφύλακτοι, ρ 225 (cf. schol. Arat. 254) ἐπιγουνίδα A. τὸ ἄνω τοῦ γόνατος C. ἐπωμίδα, τ 229 (cf. schol. Apoll. lex. p. 107) λάων A. ἀπολαύων C. βλέπων, χ 188 (cf. schol. Eustath. p. 1924, 10)

1) Perperam igitur coniecit Lehrs Ar. p. 230 πρωτέων pro προτέρων probauitque Friedlaender Aristonic. p. 228.

2) Itaque Welcker in opusc. II, p. 49 not. 106 elici posse ex schol. ζ 8 Cratetis de Scheria opinionem suspicatus est; sed ipse minus recte se de tota hac re disputasse in eis quae p. 50 not. uncis inclusa addidit confessus est.

3) Minime id quod putauerunt Porson et Sterk in symb. litt. Batau. VIII, p. 54 ἐπεὶ ἤδη: neque Crates ut uoluit Thiersch p. 34 ἐπειὴ δή.

4) Cf. Sengebusch in Iahnii annal. 67, p. 413 sq.

5) Quamquam fortasse Aristarchus etiam μελάνδρυον scripsit cf. Lehrs Ar. p. 155.

κουρίξ A. *τῆς κουρῆς ἐπιλαβόμενοι* C. *νεανικῶς*, ψ 3 *ὑπερικταίνοντο* (cf. schol. Barnes. l. s. Apollon. lex. Homer. u. *ὑπερικταίνοντο* p. 158 Bekk.[1]) Eustath. p. 1936, 9) A. *ἀνεπάλλοντο* ex *ὑπ'* et *ἐρικταίνοντο* compositum C. *ὑπερεξετείνοντο* ex *ὑπὲρ* et *ἰκταίνεσθαι* (*ἴκταρ*) compositum. Quae omnia perlustrans exceptis eis de quibus difficile sit diiudicatu uelut *ἀνοπαῖα λάων* aliis uix ac ne uix quidem repereris ubi Aristarchus Crateti cesserit; una ea coniectura, qua Φ 558 *Ἰδήϊον* scripsit, quam Fr. A. Wolf fortasse omnium optimam dixit, ambabus manibus arripuit Thiersch p. 29, non flocci facienda est[2]). Consequens autem est, ut contra Cratetem pertinacissimum oblocutorem Aristarcho saepissime fuerit usurpanda *διπλῆ* quam uocant pura, quam exhibet etiamnunc Aristonicus ad I 169, Ξ 31, Ψ 679, Ω 272, restituit coniciendo aliam ad α 24 Sengebusch Aristonic. p. 17, duas etiam in codice Veneto seruatas ipse addo alteram ad A 473, ubi Aristonici uerbis *ἡ διπλῆ ὅτι Παιήονα κτλ.* Cratetem notari elucet, ad N 359[3]) alteram.

Denique ne de aetate quidem Homeri inter utrumque conuenit, sed floruisse eum putauit Aristarchus *μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν μετὰ ἔτη ρ'*, sexaginta annos post Troiam euersam Crates cf. Sengebusch diss. Homer. II, p. 32 sq. et p. 57 sq.

Vnicum praeterea quantum scio superest eorum contentionis uestigium, Cratetis dico epigramma[4]), quode egregie disputantem ausculta Meinekium anal. Alex. p. 31: „neque dubito quin illud „Cratetis epigramma eo ipso tempore scriptum sit, quo de scri„ptoribus in canonem uel recipiendis uel non recipiendis grauissi-

1) Ibi corrigas uolo pro *ἄγαν ἐπάλλοντο*: *ἀνεπάλλοντο*.

2) Cf. Welcker *ueber die Lage des Homerischen Ilion* in opusc. II, p. LX sq.

3) Credo enim in scholio Aristonici esse scribendum *ὅτι οὐ παραλληγορεῖ κτλ.*, namque *ἐπ' ἀμφοτέροις* Aristarchus quomodo interpretatus sit accurate docet Didymus ad l. s., contra ista *παραλληγορία* Cratetis est cf. schol. N 358.

4) Cuius auctorem in dubium uocauerunt Lehrs de uocabulis philolog. etc. p. 395 „Cratetis quod fertur epigramma" et B. Thiersch p. 61 cum uiderit a Laert. Diog. IIII, 23 praeter grammaticum Cratetem *ἐπιγραμμάτων ποιητὴν* laudari. Cf. omnino de eo Meineke l. s. p. 3 sq. et 31 sq., Thiersch p. 63 de obscoenis eius amphiboliis.

„mae quaestiones non sine ira et studio in Museo Alexandrino „agitarentur. Quo tempore quum alii Choerilum, alii Antima„chum, alii fortasse etiam Euphorionem recipiendum dicerent, „Crates, acerrimus Aristarchi aduersarius, suam de hac re sen„tentiam propositurus illud scripsisse uidetur epigramma."

Restat ut de scriptis Crateteis quae dicenda habeam expromam. Scripsit Crates testibus Suida et Eudocia *διόρθωσιν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν βιβλίοις θ'*, quae uerba sat neglegenter pronuntiata induxerunt Villoisonum proleg. Iliad. p. XVII alios, ut statuerent eum Homeri carmina in octo nouemue libros dispescuisse; ipse non dubito quin Suidas eundem intellexerit librum quem alias *διορθωτικά* (anecd. Roman. p. 5 ed. Osann) *τὰ περὶ διορθώσεως* (schol. *μ* 89) *Ὁμηρικά* (schol. *Ο* 193) laudari comperimus commentarium Homeri. Namque quamquam *διόρθωσις* uocabulum de critica sola opera in emendandis libris posita dicitur (cf. Ritschl coroll. disp. bibl. Alex. p. 19) tamen de editione ut cum Luebbertio p. 428 cogites non est quod persuadeat. *θ'* nota octo an nouem libri significentur ambigunt uiri docti: ipse equidem suspicatus sim Cratetem quem scimus totum in rebus mathematicis fuisse ex studio quodam a Graecis in deliciis habito[1]) totidem quot fuerint Musae libros uoluisse componere i. e. octo, octo enim tantum eas esse iussit (cf. frg. inc. sed. 7)[2]). Qui octo libri qua ratione dispositi fuerint ignoratur, neque ullam coniectandi ansam praebet liber secundus in schol. *Ο* 193 laudatus; id unum coniciam praefatum esse Cratetem de Homeri patria aetate genere arte similibus. Huic igitur prooemio malui Harpocrationis uerba tribuere quam Cratetis Atheniensis *περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν* librum uoce *ἱεροποιΐαις* dici credere. Pariter commentandi operam nauauit Hesiodi theogoniae atque operibus et diebus nec non Euripidi[3]), deinde Arato

1) Cf. Ranke de Aristoph. uita p. CXIII potissimum de Musarum numero disserens et Welcker *griechische Goetterlehre* I, p. 52 sq.

2) Quam opinionem e Platonis rep. X, p. 616 commento enatam esse coniecit Orelli comment. in Arnob. p. 168.

3) Eius commentariis cur ea quae ex Orestis et Alcestidis prooemio hausta esse dixi assignauerim statim docebo; in dubium uocari

utpote homini stoicis dedito; Arati enim interpretum in catalogo apud Petau. uranolog. p. 267 Crates ipse commemoratur et identidem laudatur in Arati scholiis; recte tamen Suringarem de mythogr. astron. p. 18 hariolantem Cratetis esse enarrationem Arati Buhlii Arateis tom. II, p. 429—441 insertam quippe in qua legerentur nonnulla quae Cratetea esse aliunde constaret, iam Osann anecd. Roman. p. 323 sq. refutauit cum inessent alia e Cratetis mente non profecta multa. Eadem uero studia in Aristophane explicando a Cratete esse posita, id quod negauit O. Schneider de schol. Aristoph. p. 88 omnem eius in scholiis Aristophaneis mentionem ad scriptum *περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου* referens, suo iure contendit H. Keil in nou. mus. Rhen. VI, p. 131 cum essent quae uix possent nisi e commentariis in poetam compositis hausta esse uelut schol. ran. 296 et equit. 959. Huc reuocaui etiam ea quae in schol. Aristoph. equit. 963 Socratis nomine addito laudantur, nullus enim unquam extitit Socrates grammaticus; etenim ille quem fuisse putauit Meineke de Euphorione p. 175 n. et O. Schneider l. s. p. 58 n. 4 in etym. magn. p. 389, 18 *ὁ γραμματικὸς Σωκράτης*[1]) unico debetur Musuro, cum cod. D exhibeat *ὅς* et P *σαῖοος* unde Gaisford *Σωσίβιος* elicuit; contra ap. Cramer. an. Oxon. III, 1 *Σωκράτης μᾶλλον ὡς γραμματικὸς ἢ φιλόσοφος* est *Σωρανός*[2]) cf. Orion p. 34, 9, etym. magn. u. *ἀριστέρα, ἀρτηρία, γαργαρέων* etc. Eius libri praefationi assignaui quae disputata sunt a Cratete de comoediae partibus canticisque choricis: quamquam enim Crates Atheniensis Polemonis successor *περὶ κωμῳδίας* scripsit, tamen Cratetem Mallotam ut cum Muellero in ant. mus. Rhen. V (1837) p. 359, Meinekio hist. crit. com. Gr. p. 16, com. Gr. II, p. 1240, Keilio nou. Rhen. mus. VI, p. 131 aliis intellegam, effecit — Gyraldus autem qui diserte Cratetem Mallotam laudat ex quo fonte hauserit nescio — ratiocinatio aliunde petita. Ea inquam, quae Tzetzes

---

potest schol. Euripid. Phoeniss. 45 ubi *Σωκράτης* uolgo, in codice Taurinensi *ὡς Κράτης* legitur, *Σωσικράτης* uidetur esse emendandum.

1) Quo loco etiam M. Schmidt Didym. p. 60 n. 4 deceptus est.

2) Quode cf. Ritschl de Oro et Orione p. 28 sq.

I, §. 5 in nou. mus. Rhen. VI, p. 116 dicit[1]) se narrasse fretum τοῖς τραγικὰς βίβλους ἐξηγησαμένοις οἷς καὶ οὗτοί (i. e. Crates Dionysius Euclides) φασι τὰ αὐτά, reperiuntur in scholiis Euripidis Orestis (cf. frg.) hausta ἐκ τοῦ Διονυσίου ὑπομνήματος καὶ μικτῶν quorum Crateteum esse ex Tzetzae uerbis cogas. Iam igitur ibi Cratetem Mallotam Euripidis interpretem respici atque in codice a Tzetza usurpato Dionysii[2]) Euclidis Cratetis in comicos tragicosque poetas commentaria excerpta fuisse summa cum confidentia suspicabere[3]). Deinde πίνακας Crates num scripserit, in diuersas partes abierunt uiri docti, contendit post alios Meineke quaest. scen. III, p. 5 hist. crit. com. Gr. p. 13, assensum cohibuerunt O. Schneider de schol. Aristoph. p. 88 et Nauck Aristoph. Byz. p. 245: locutus est sane Meineke paululum audacius, sed uix dubitare licet quin Crates Pergamenae bibliothecae colligendae et in tabulas referendae auctor extiterit, nec temere opinor attribui eius πίναξιν Alcmanis mentionem cum in eis scriptorum uitas breuiter enarratas esse sciamus. Tum Pergamenus Crates περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου siue περὶ Ἀττικῆς λέξεως plus quinque libros congessit: Atheniensem etenim auctorem esse ex schol. Soph. Oed. Col. 99 et schol. Aristoph. eq. 725 colligentis (Prelleri Demeter et Persephone p. 61 n. 12) argumentatio cum labefactatur temporis ratione — namque Crates Atheniensis antiquior fuit Philochoro (ol. 115 nato) ut docet schol. Soph. l. s., attamen Philippides quem inter ol. 118 et 122 floruisse satis certo computauit Meineke hist. crit. com. Gr. p. 470 sq. a Cratete (in libro περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου) ap. Athen. XIIII, p. 640 c laudatur — tum plane corruit eo, quod schol. Soph. l. s. petitum est ex libro Cratetis Atheniensis περὶ τῶν

1) Eadem decantat Tzetzes ibid. II, § 3, p. 119 et ap. Cramer. an. Oxon. III, p. 337 cf. Cramer an. Paris. I, p. 7.

2) Minus recte disputauit de eo Bergk comm. de Sophocl. poet. trag. arte p. 23 n. 1; illa enim subscriptio non ad omnia scholia referenda est sed ad sola ultima uerba, id quod docetur codice Hauniensi in quo ea uerba in ὑποθέσει leguntur.

3) Habet igitur quo ualde commendetur Meinekii suspitio qua ad Cratetem reuocat Hesychii uocis ἀντιλαβαί explicationem; cf. frgm. prooem. Euripidis.

Ἀϑήνησι ϑυσιῶν, ut infra demonstrabo. Porro singularibus libris sententias suas geographicas exposuisse non absonum uidetur, cum constet his studiis et ipsum quam maxime fauisse et discipulos, quorum scimus Asclepiadem Myrleanum (cf. Lehrs de Asclepiad. Myrl. p. 434 sq.) Alexandrum Milesium (cf. Mueller frg. hist. Gr. III, p. 207) Telephum (cf. Suidas u. Τήλεφος) diligentissimam operam in eis collocasse. Βοιωτικά[1]) autem infirmis stant talis ut quae citata in scholio corruptissimo quod quomodo probabiliter emendem non habeo. Contra περὶ ϑαυμασίων ζώων Cratetem disseruisse nimis confidenter affirmat Wegener p. 129 sq., cum res prorsus in dubio sit relinquenda, quamquam scio ueri esse simillimum, Alexandrum polyhistorem scripsisse περὶ ϑαυμασίων συναγωγήν cf. Mueller frg. hist. Gr. III, p. 343. Duo denique alii libri radicitus sunt tollendi, Ζηνοδότεια in schol. Hesiod. theog. 5, quae etsi cunctanter tuiti sunt Wegener p. 130 n. 14 et Osann anecd. Roman. p. 178, cum Gaisfordio γράφει scriptura in γράφεται correcta[2]), et scriptum περὶ λιμένων ap. Eustath. in Odyss. p. 1613, 39 uni Osanno ad Philemon. p. 313 n. 'aliunde satis notum' certo iudicio a me sublatum cf. adnot. crit. ad ι 22.

Breuiter denique de cognominibus nonnullis Cratetis nonnunquam a uiris doctis cum Pergameno confusis dicendum est[3]). Atque primum Atheniensis scripsit περὶ τῶν Ἀϑήνησι ϑυσιῶν cf. Suidas u. εἰρεσιώνη schol. Aristoph. equit. u. 729[4]); cui libro haud dubitanter tribuas quae leguntur ap. schol. Soph. Oed.

---

1) Commentarium Iliadis B intellexit Nitzsch in Halens. ephem. litt. 1837 p. 103; Hesiodeum Mueller cf. frg. hist. Gr. IIII, p. 370; ignotum ceteroquin Cratetem commemorari putat Muetzell de emend. Hesiod. theog. p. 340; adscripsit eis Mueller l. s. etym. magn. u. Ἄρνη p. 145 et Tzetz. in Lycophron. 644 falsus cf. frg. ad B 507.

2) Nulla enim est offensio Muetzelli de emend. theog. Hes. p. 281 cf. Duentzer Zenod. p. 34 n. 27.

3) Prelleri enim dissertatio quam Cratetes cognomines subtiliter discernentem mox in lucem prodituram esse indicauit Nitzsch hist. Hom. II, p. 72 etiamnunc in scriniis eius delitescit.

4) Vnde qui hauserit Eustathium in Il. p. 1283, 14 Pergamenum dicere opinatur Wegener p. 137.

Col. 99[1]) Harpocrat. Suid. Phot. u. *προκώνια* perperam a Wegenero p. 149 Mallotae *περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου* libro intrusa. Tum Cratetem scriptorem rei rusticae hominem ceteroquin ignotum ut a grammatico distinguerent, ne id quidem commouit multos quod uir Romanorum doctissimus de re rust. I, 1, 9 quae fuerit eius patria non accepit. Comicus contra procul dubio laudatur in etymol. magno p. 194 u. *βέθρον*, quem locum Wegener Pergameni commentario in *Θ* 14 impegit, idemque in etymol. magno p. 579 u. *μεμνέφτο*, quae retulit Wegener ad *Ψ* 361, produxit Lersch philos. ling. I, p. 72 insigne Mallotae de anomalia doctrinae exemplum (cf. Meineke com. Gr. II, 1 p. 249). Pergameno uero Crateti an comico adsignanda sint quae extant ap. Phot. u. *Σαρπηδὼν ἀκτή* Suid. u. *Σαρπηδονία ἀκτή* et Phot. u. *ῥῆσις*[2]) in medio relinquo cum Meinekio com. Gr. II, 1 p. 250 et 251; Thebanus fortasse ad partes uocatur in schol. *Α* 59[3]). Prorsus postremo nescio quid sibi uelit Crates in schol. Oppian. halieut. III, 3.

Restat ut abrogem tria Crateti grammatico perperam interpretando coniciendoue obstrusa. In schol. *Γ* 155 Wegener p. 133 Thiersch p. 35 Duentzer Zenodot. p. 134 Cratetem *ῶκα* pro *ῆκα* scripsisse perhiberi narrant, cuius narrationis certa indicia frustra quaesiui; Friedlaender uero Nicanor p. 168 ita scribit: „*φησιν* (sc. Nicanor nisi ante *φησιν* excidit *Ζηνό*-„*δοτος*, quem *ῶκα* scripsisse docemur a Didymo[4])“, quorum ipse nihil aliqua cum confidentia audeo amplecti. Deinde in schol. Aristoph. ran. 323 Meineke quaest. scen. II, p. 38 *Κράτης* reuocandum censet pro *Φερεκράτης* non recte, sed culpa penes Musurum est, is enim procreauit Pherecratem cum codices *Γ Θ* praebeant *φασιν* et *G φησιν*. Vltimo loco ut ne quid

1) Vbi Hecker in philolog. V, p. 428 pro *Κράτης ὁ Ἀθηναῖος* corrigi iubet *Κράτης ὑπ' Ἀθηναίων* Mallotemque *περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου* intellegendum „cum Cratetem Atheniensem nemo nouerit“.

2) A Meiero comm. Andoc. VI, particula III, p. 3 n. 112 ad *περὶ Ἀττικῆς διαλέκτου* librum relatus.

3) Quod interpretantem Nitzschium l. s. p. 103 non adsequor.

4) Vel potius quod iam *διπλῆ περιεστιγμένη* in codice Veneto appicta docet Aristonicus ut Friedlaender ipse Aristonic. p. 55 intellexit.

omittam peruerse Preller schol. Odyss. Hamb. II, p. 20 in schol. Hamb. Odyss. ι 64 in uoce *κρατοῦντες* Cratetis nomen latere suspicatus est; si enim restitueris id quod flagitatur eis quae statim secuntur *προςκαρτεροῦμεν ἕκαστον ἀναβοῶντες* uerbis *καρτεροῦντες* atque pro *ἐν πολέμῳ* leni mutatione *ἐν πολεμίᾳ* rescripseris, uerbis quae non integra esse queritur Dindorf salutarem medicinam adhibueris.

Adnexui autem reliquias Cratetis quas reperire potui omnes integras exscriptas et dispositas non idcirco tantum, quod in Wegeneri collatione permultas deesse uidi, sed etiam quod nulla magis in parte eius libelli quem scio ceteroquin nonnullis nominibus utilissimum esse appareat, quam uere ille dixerit sese historici tantum neque philologi partes egisse Eis in disponendis et recognoscendis qua ratiocinatione nisus sim, usquequaque enucleare ut inutile ita longum duco, cum stare eam uel corruere suapte ui et natura nemo non uideat.

CRATETIS MALLOTAE RELIQVIAE

In afferendis librorum testimoniis usurpandisque notis Aeliani Hercherum, Athenaei Dindorfium, etymologici magni Gaisfordum, Euripidis argumentorum Kirchhoffium, Eusebii Gaisfordum, Germanici scholiastae Suringarem, Harpocrationis Dindorfium, Lydi Roetherum, Plinii Sillligium, Plutarchi Wyttenbachium, scholiorum Aristophaneorum Duebnerum, Euripideorum Cobetum Kampmannum Matthiaeum, Hesiodeorum Gaisfordum, Homericorum Iliadis Bekkerum Bachmannumque Odysseae Dindorfium, Lycophroneorum Muellerum, Theocriteorum Ahrensium, Stephani Byzantii Meinekium, Strabonis Kramerum, Suidae Bernhardyium, Varronis Muellerum et Spengelum secutus sum; asterisco adiecto dubias reliquias significaui.

I ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΜΗΡΟΥ ΔΙΟΡΘΩΣΕΩΣ ΒΙΒΛΙΑ Θ

PROOEMIVM

1 *Περὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου καθ' ὃν ἤκμασεν προηρεύνησαν . . . γραμματικοὶ . . Κράτης . . τούτων δὲ οἱ περὶ Κράτητα πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶν αὐτὸν ἠκμακέναι μετὰ τὰ Τρωικὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν.* Tatianus adu. Graecos c. 31 p. 120 ed. Otto. Eusebius praep. euang. X 11 p. 492 Viger. *κἂν ἕπεσθαί τις βουληθῇ τῷ γραμματικῷ Κράτητι καὶ λέγῃ περὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον Ὅμηρον γεγονέναι μετὰ ἔτη ὀγδοήκοντα τῆς Ἰλίου ἁλώσεως.* Clemens Alex. strom. I 21 p. 327 Sylb. p. 389 Pott. *οἱ δὲ περὶ Κράτητα καὶ πρὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου λέγουσιν αὐτὸν γενέσθαι ὡς οὐδὲ ὅλα ἔτη ὀγδοήκοντα ἀπέχειν τῶν Τρωικῶν.* Ps.=Plutarchus de uita Homeri II 3 p. 1070 ed. Wyttenb. Quidam eum ex quibus Crates ante descensum Heraclidarum ponunt. Eusebius chron. lib. II Maii Roman. script. uet. nou. coll. tom. VIII p. 314, p. 302 ed. Mai et Zohrab Mediol., uol. II p. 142 ed. Aucher. Hie-

---

u. 1 τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου Tatian. || *u. 3 οἱ μὲν περὶ* Euseb. || *u. 4 μετὰ τὸ* Euseb. **D** || *u. 14 nonnulli apud Cratetem eum ante Heraclidarum incursionem collocant* Mai et Zohrab

ronymus ed. Scaliger uol. I p. 97. *Ὅμηρον τὸν παρ' Ἕλλησι μέγαν ποιητὴν οἱ μὲν περὶ Κράτητα πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶ γεγονέναι.* Syncellus chronogr. uol. I p. 339 Dindorf. *Κράτης δὲ μετὰ ἑξήκοντα ἔτη τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου γεγονέναι φησὶν αὐτόν.* uita Homeri cod. Matrit. 67 p. 31 ed. Westermann. *οἱ δὲ περὶ Κράτητα ἀνάγουσιν αὐτὸν εἰς τοὺς Τρωικοὺς χρόνους.* Proclus uita Homeri p. 26 ed. Westermann.

2 *Σέλευκος δὲ ἐν β' περὶ βίων ἁμαρτάνειν φησὶ Κράτητα νομίζοντα [τοὺς] ἐν ταῖς [Χίαις] ἱεροποιίαις Ὁμηρίδας ἀπογόνους εἶναι τοῦ ποιητοῦ.* Harpocratio u. *Ὁμηρίδαι.*

3 *μαρτυροῦσι δὲ Κράτης καὶ Ἀπίων ὁ Πλειστονίκης ὅτι ἀστρονόμος Ὅμηρος.* Achilles Tatius isagog. ap. Petau. uranolog. p. 124 B.

IN ILIADEM

Α 1. *Ἡ δοκοῦσα ἀρχαία Ἰλιὰς λεγομένη δὲ Ἀπελλικῶνος προοίμιον ἔχει τοῦτο „Μούσας ἀείδω καὶ Ἀπόλλωνα κλυτότοξον“, ὡς καὶ Νικάνωρ μέμνηται καὶ Κράτης ἐν τοῖς διορθωτικοῖς.* anecdotum Romanum p. 5 ed. Osann.

* *Α* 59 sq. *κατὰ Κράτητα καὶ Περσαῖον οὔτε φρόνιμος οὔτε σώφρων οὔτε ἀνδρεῖος* (est Achilles). schol. B Il. *Α* 62 L Il. *Α* 66.

Α 591 sq. *ἐῶ ἐπὶ τοῦ παρόντος ὡς τερατείαν τινὰ τὴν Κράτητος φιλοσοφίαν ὅτι Ζεὺς ἀναμέτρησιν τοῦ παντὸς ἐσπουδακὼς γενέσθαι δύο πυρσοῖς ἰσοδρομοῦσιν Ἡφαίστῳ τε καὶ ἡλίῳ διετεκμήρατο τοῦ κόσμου τὰ διαστήματα. τὸν μὲν ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ βηλοῦ καλουμένου ῥίψας τὸν δ'*

---

u. 2 περὶ Κράτητα male infra post *γεγονέναι* positum et in *περικρατήσαντα* corruptum hic addidit Sengebusch diss. Homer. I p. 18 || *u. 9 βίον* **A** *τὸν βίον* **B** || *u. 10 τοὺς* suppleuit Sengebusch in Iahnii annal. 67 p. 267 sq. cf. diss. Homer. II p. 48 sq. || *Χίαις* addidi || *Ὁμηρίδας εἶναι ἀπογόνους τοῦ* **B** || *u. 16 Ἀπελλικῶνος* corr. Nauck in philolog. VI p. 563 et obseru. crit. de trag. p. 31 pro *ἀπ' Ἑλικῶνος* Osann coni. *ἀπ'* uel *ἀφ' Ἑλικῶνος* || *u. 23 τέρατά τινα* **L** apud Bachmannum *τερατώδη* Bekker || *u. 24* post *Κράτητος* add. **L** *τοῦ Θηβαίου* || *u. 27* immo *βήλου* cf. frg. sq.

ἀπ' ἀνατολῆς εἰς δύσιν ἀφεὶς φέρεσθαι· διὰ τοῦτ' ἀμφότεροι καὶ συνεχρόνισαν· ἅμα γὰρ ἠελίῳ καταδύντι κάππεσεν Ἥφαιστος ἐν Λήμνῳ. Heraclitus alleg. Homer. p. 58 Mehler. schol. L Il. l. s.

Α 591. *Κράτης δὲ περισπῶν τὴν πρώτην συλλαβὴν* (uocis *βηλὸς*) *Χαλδαϊκὴν εἶναι τὴν λέξιν ἀποδίδωσιν.* schol. BL Il. l. s. *τινὲς* (sunt igitur *οἱ περὶ Κράτητα*) *κατὰ Χαλδαίους τὴν ἀνωτάτω τοῦ οὐρανοῦ περιφέρειαν.* schol. ABL Il. l. s.

Β 507. *ὁ δὲ Κράτης φησὶ παρὰ τοὺς ἄρνας* (*Ἄρνην* urbem uocatam esse)· *ἐπιτηδεία γὰρ πρὸς τὸ ἄρνας τρέφειν ἡ πόλις. καὶ οὐκ ἀπεικός· ὁ γὰρ αὐτός φησι καὶ τὴν Κῶν ὡς γῆν ἐπιτηδείαν πρὸς τὰ πρόβατα τοὺς ἐνοικοῦντας Κᾶρας οὕτως ὀνομάσαι τῇ οἰκείᾳ φωνῇ· κῶν γὰρ τὸ πρόβατον ὠνόμασαν. οὕτω καὶ τὴν Ἄρνην· καὶ γὰρ αὕτη εὔαρνος ὥστε τὴν μὲν Ἄρνην ἀπὸ τῆς συγκεκομμένης γενικῆς ὠνομάσθαι, τὴν δὲ Ἀρήνην ἀπὸ ἐντελοῦς τῆς ἀρῆνος.* etym. magn. p. 145 u. *Ἄρνη. Κράτης δὲ παρὰ τὸ ἄρνας πολλοὺς ἔχειν* (*Ἄρνην* appellatam esse), *καὶ τὴν Κῶν ὁ αὐτὸς οὕτω φησὶ κληθῆναι παρὰ τῶν οἰκούντων αὐτὴν Καρῶν· κῶν γὰρ τὸ πρόβατον οἱ Κᾶρές φασιν.* schol. Tzetz. Lycophron. u. 644.

Θ 478 sq. *Κράτης τὸν ὑπὸ τοῖς πόλοις ἀέρα παχύν τε καὶ ψυχρόν τινα καὶ ἀφώτιστον* (Tartarum esse dicit). *Ὅμηρος δὲ τόπον εἶναι συνέχοντα τοὺς περὶ Κρόνον καὶ ὑπὸ γῆν ὄντας.* Stephanus Byz. u. *Τάρταρος.*

Ι 83. *Ἀφαρεὺς ὁ ἥρως „Ἀφαρῆά τε Δηΐπυρόν τε“ . . .*

---

u. 1 ἀνατολῶν **L** || *μεθεὶς* **L** || post *φέρεσθαι* interciderunt nonnulla || *u. 2 ἠλίῳ* Schow || *u. 9 παρὰ τὸ ἄρνας* libri praeter **V** || *u. 10 γὰρ εἰς τὸ* libri praeter **V** || *u. 11 καὶ οὐκ ἀπεικὸς* om. **V** || pro *ὁ* libri praeter **V** *ὡς* || *u. 12 ὡς γῆν* corr. Vsener *καὶ τὴν* **D** *τὴν* ceteri || *u. 13 οὕτως* post *φωνῇ* collocat **V** || *ὀνομάσαι* corr. Vsener *ὀνομάζει* **D** Call. *ὀνομάζειν* ceteri || *φωνῇ* om. libri praeter **V** || *u. 14 ὀνομάζουσιν* **V** *ὀνόμασεν* **D** *ὠνόμασεν* Call. || *καὶ γὰρ καὶ αὕτη* uel *καὶ αὕτη γὰρ* coni. Sylburg || *u. 15 ὠνόμασεν* **P** || *u. 17 Κράτης* corr. Thrylitt. *Κρίτων* cum duobus cod. Sebast. *κράτων* Vit. 1 et Ciz. *Νικοκράτης* coni. Hecker in philolog. V p. 428 coll. schol. *N* 21 Stephan. Byz. u. *Βοιωτία* (ubi Meineke *Νικόστρατος* restituit) || *Κράτης — Καρῶν* om. Vit. 2 et 3 || *u. 18* pro *Κῶν* cod. Bar. *σκῶλον* || *u. 20* pro *κῶν* cod. Bar. Vit. 2 et 3 *σκῶλον* || *u. 22 τοῖς πολλοῖς* **V** || *u. 26* cf. *N* 478

ὁ δὲ Κράτης παρὰ τὸ ἄφαρ ἐπίρρημα, παρὸ καὶ ἀφάρτερος. etym. magn. p. 175 u. Ἀφαρεύς.

Ι 169. ὁ δὲ Κράτης τὸ ἔπειτα ἀντὶ τοῦ δὴ συνδέσμου λαμβάνει. schol. A Il. l. s.

Κ 266 sq. Κράτης δὲ Φωκέα ποιεῖ τὸν Φοίνικα τεκμαιρόμενος ἐκ τοῦ κράνους τοῦ Μηριόνους, ᾧ ἐχρήσατο ὁ Ὀδυσσεὺς κατὰ τὴν νυκτεγερσίαν περὶ οὗ φησιν ὁ ποιητὴς ὅτι „ἐξ Ἐλεῶνος — ἀντιτορήσας“ (Κ 266. 267)· τόν τε γὰρ Ἐλεῶνα ἐν τῷ Παρνασῷ πολίχνιον εἶναι τόν τε Ὀρμενίδην Ἀμύντορα οὐκ ἄλλον τινὰ λέγεσθαι ἢ τὸν τοῦ Φοίνικος πατέρα καὶ τὸν Αὐτόλυκον οἰκοῦντα ἐν τῷ Παρνασῷ τοιχωρυχεῖν τὰ τῶν γειτόνων, ὅπερ κοινόν ἐστι τοιχωρύχου παντὸς, οὐ τὰ τῶν πόρρωθεν. Strabo VIIII p. 439 C.

Κ 394. ἢ μάλιστα φιλοσόφως (Homerus noctem θοὴν dicit) τὴν κωνοειδῆ καὶ εἰς θοὸν ὅπερ ἐστὶν εἰς ὀξὺ λήγουσαν. ἐπεὶ γάρ φασιν ὁ φωτίζων ἥλιος μείζων ἐστὶ τῆς φωτιζομένης γῆς, κωνοειδὴς γίνεται ἡ αὐτόθεν σκιὰ ὅ ἐστιν ἡ νύξ... ὁ δέ γε Κράτης καὶ ἐν τῇ τοιαύτῃ φιλοσοφίᾳ τὸ θοὴ ἐπὶ ταχείας τίθησι λέγων ὡς ἡ νὺξ σκιὰ τῆς γῆς οὖσα ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ διώκουσα οἷον καὶ διωκομένη. schol. cod. Paris. 2679 et 2681 apud Cramer. an. Paris. III p. 13 et 94 Il. l. s. Eustath. in Il. l. s. p. 814, 17.

Λ 32 sq. τὰ δ᾽ ἐφεξῆς διεξοδικώτερον δηλοῦσι κατὰ διασκευὴν, πῶς καὶ πολυδαίδαλος ἦν καὶ καλὴ ἡ ἀσπίς... ταῦτα δὲ μίμημα τοῦ κόσμου εἶναί φασιν οἱ περὶ τὸν Κράτητα. διὸ „πολυδαίδαλός“ τε εἴρηται διὰ τὴν τῶν κοσμικῶν εἰδῶν ποικιλίαν καὶ τὴν τῶν χρόνων καὶ τῶν σφαιρῶν καὶ „ἀμφιβρότη“ δὲ, ἐπεὶ τοὺς βροτοὺς περιείληφεν. οἱ δὲ κύκλοι δηλοῦσί τε τοὺς παραλλήλους τὸν ἀρκτικὸν τὸν θερινὸν τροπικὸν τὸν ἰσημερινὸν τὸν χειμερινὸν τροπικὸν καὶ τὸν ἀνταρκτικὸν καὶ τοὺς ἀνακεκραμένους κολούρους καὶ τοὺς δύο λοξοὺς τὸν γαλαξίαν δηλαδὴ καὶ τὸν ζωδια-

---

u. 1 Κρα^τ D Κρατῖνος V || παρὸ καὶ ἀφάρτερος om. libri praeter V || u. 6 Μηριόνους scripsi pro Μέγητος || u. 15 pro ὅπερ ἐστὶν Par. 2679 ἤτοι || u. 17 κωνοειδὴς || u. 18 νύξ om. Par. 2681 || u. 19 θοῇ Par. 2679 || σκιά τις οὖσα Par. 2681 || u. 27 σφαιρῶν coni. Vsener pro καιρῶν

κὸν, καὶ μὴν καὶ τὸν ὁρίζοντα, οὓς καὶ χαλκοῦς λέγει ὡς καὶ τὸν οὐρανὸν χάλκεον. οἱ ὀμφαλοὶ δέ φασι τοὺς ἀστέρας αἰνίττονται. καὶ τοιαῦτα μὲν οἱ ἀλληγορηταὶ λέγοντες καὶ ὅτι καλῶς οὐρανοῦ φέρει μίμημα ἡ τοῦ βασιλέως ἀσπὶς ὃν φθάσας Ὅμηρος ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελον ἔφη τῷ Ὀλυμπίῳ Διί. Eustath. in Il. l. s. p. 828, 39.

Λ 741. *Μήδεια ἐγένετο Αἰήτου μὲν θυγάτηρ Ἰάσονος δὲ γυνή. αὕτη μετὰ τὴν ἀπεργασθεῖσαν ἐν Κορίνθῳ τεκνοκτονίαν φυγὰς εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο καὶ ἐγαμήθη Αἰγεῖ τῷ Πανδίονος. κἀκεῖ Θησέα τὸν ἐξ Αἴθρας γενόμενον τῷ Αἰγεῖ ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς ἀναγνωρισμὸν ἐκ Τροιζῆνος ἀφικόμενον [πυθομένη] πείθει τὸν Αἰγέα φάρμακον αὐτῷ δοῦναι θανάσιμον ἐπίβουλον αὐτοῦ τῆς βασιλείας εἰποῦσα παραγενέσθαι. πεισθεὶς δὲ Αἰγεὺς παραγενομένῳ τῷ παιδὶ φάρμακον ἔδωκεν· μέλλοντος δὲ καταπίνειν ἐπιγνοὺς τό τε ξίφος καὶ τὰ ὑποδήματα (ταῦτα γὰρ ἐν Τροιζῆνι γνωρίσματα κατέλιπεν) τὸ μὲν φάρμακον ἀφείλετο τὴν δὲ Μήδειαν ἐξέβαλε τῆς Ἀττικῆς. οἰκήσασα δὲ αὕτη τὴν πλησίον Ἤλιδος Ἔφυραν πολυφάρμακον ἐποίησεν αὐτὴν ἐπονομασθῆναι. ἡ ἱστορία παρὰ Κράτητι.* schol. ADV Il. l. s. *ὅτι δὲ πολυφάρμακος ἡ κατὰ τὴν Ἤλιδα χώρα δηλοῖ ὁ εἰπὼν ὡς Μήδεια ἐξ Ἀθηνῶν φυγοῦσα Αἰγέως φόβῳ διότι τῷ Θησεῖ αὐτὴ ἐκέρασε φάρμακον οἰκήσασά τε τὴν πλησίον Ἤλιδος Ἔφυραν, ἔνθα που καὶ ὁ Αὐγείας ἦν, πολυφάρμακα ἐποίησε τὰ ἐκεῖ.* Eustath. in Il. l. s. p. 881, 59.

Λ 754. *Κράτης δὲ προκρίνει τὴν δίχα τοῦ ᾱ γραφὴν* (uocum *δι' ἀσπιδέος* i. e. scribit *διὰ σπιδέος*) *καὶ Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ᾱ γραφῇ καί φησι σπιδέος τουτ-*

---

u. 12 **πυθομένη** addidi || *u 26* consulto omisi quae in etymologico antea p. 271, 8 **Κράτης λέγει ὅτι** usque ad 22 **καὶ ταῦτα μὲν ὁ Ἀρίσταρχος** disputata sunt, sunt enim non Cratetis sed Aristarchi id quod manifeste docetur et collatis scholiis Homericis et ultimis illis uerbis **καὶ ταῦτα μὲν ὁ Ἀρίσταρχος** et eo quod in bono etymologici codice **V** **Κράτης λέγει ὅτι** omissum est || **οἱ δὲ σπιδέος λέγουσι τουτέστιν τοῦ ἀπείρου** **V** omissis ceteris || **τὴν διὰ τοῦ** schol. quod seruauit Lehrs Herodian. p. 270 || *u. 27* **καὶ** cancellis inclusit Lehrs l. s. || post **Ζηνόδοτος** interpungit et om. **δὲ — γραφῇ** etymol. || *u. 28* **σπιδέος τοῦ ἀπόρου** schol.

ἐστιν ἀπείρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου. schol. A Il. l. s. etym. magn. p. 271 u. δι' ἀσπιδέος.

M 25. τὸ δὲ ἐννῆμαρ τινὲς δι' ἑνὸς γράφουσι νῦ καὶ δασύνουσιν ὧν καὶ ὁ Μαλλώτης Κράτης ἐστὶν ἤγουν ὁ ἀπὸ Μάλλου πόλεως ὃς ἄτοπόν φησιν Ἕλληνας μὲν τὸ τεῖχος ἡμέρᾳ μιᾷ κτίσαι ὡς προϊστόρηται, Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ποσειδῶνα καὶ Δία δι' ἐννέα ἡμερῶν ἀφανίσαι αὐτό. Eustath. in Il. l. s. p. 890, 35.

N 261. ὁ δὲ Κράτης (uocem ἐνώπια) φλιὰς παρέδωκεν †ἐνίνοχος. Hesychius u. ἐνώπια.

N 358. Κράτης δὲ ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν στρατευμάτων φησί· Τρῶες γὰρ καὶ Ἕλληνες. schol. BV Il. l. s.

Ξ 31. ὅτι οὐκ ἐν διστιχίᾳ ἦσαν (naues Graecorum), ὥς φησι Κράτης. schol. BLV Il. l. s. ὁ μέντοι Κράτης οὐκ ἐν διστιχίᾳ φησὶν εἶναι τὰς ναῦς. Eustath. in Il. l. s. p. 965, 36.

Ξ 32. Κράτης μέντοι προπερισπᾷ ἀκούων ἐπὶ ταῖς ἐσχάταις (uocem πρύμνησιν) πλανηθεὶς ἐκ τοῦ „τὰς γὰρ πρώτας πεδίον δὲ εἴρυσαν". schol. A Il. l. s.

Ξ 246. τὰ δὲ πλεῖστα (terrae) κατὰ τῆς μεγάλης δέδυκε θαλάσσης. ἀλλὰ σὺ Ἀρίσταρχον ἀγαπῶν ἀεὶ καὶ θαυμάζων οὐκ ἀκούεις Κράτητος ἀναγινώσκοντος „Ὠκεάνου — τέτυκται (*Ξ* 246), ἀνδράσιν ἠδὲ θεοῖς πλείστην ἐπὶ γαῖαν ἵησιν". Plutarchus de facie in orbe lunae p. 938 d.

O 23. Κράτης δὲ ὡς ἦλου (scribit βήλου). schol. V Il. l. s. ἰστέον δὲ καὶ ὅτι ὁ Κράτης ὥς φασιν οἱ παλαιοὶ τὸ βηλοῦ . . . βαρυτόνως ἀναγινώσκει βήλου ὡς ἦλου. Eustath. in Il. l. s. p. 1003, 38.

O 193. πῶς δέ φησιν „γαῖα — Ὄλυμπος" (*O* 193); Κράτης ἐν δευτέρῳ Ὁμηρικῶν καὶ Στησίμβροτος [ὅτι κατὰ

u. 1 ἀπείρου **V** ἀπόρου schol. **M** ἀσπόρου etym. uolg. || καὶ μεγάλου delet Lehrs || *u. 5* ὃς corr. Vsener pro ὡς || ὃν post ἄτοπον scriptum deleui || *u. 9* cf. *Θ* 435 *δ* 42 *χ* 121 || *u. 10* pro ἐνίνοχος coni. M. Schmidt ἐν ν̄ Ἰλιάδος, Is. Voss ἐν ἡνιόχοις || *u. 13* cf. supra p. 28 sq. || διστοιχίᾳ **L** apud Bachmannum || *u. 15* διστιχίᾳ corr. Vsener pro διστίχῳ || *u. 18* πεδίον δὲ corr. Lehrs Herodian. p. 283 πεδίονδε Bekker πεδιον δε Villoison || *u. 21* ἀναγινώσκων libri praeter **E** et Xylandri interpretationem || *u. 24* et *26* ἦλου scripsi ἥλῳ schol. ἥλου Eustath. || *u. 29* ὅτι κατὰ στοιχεῖα suppleui cf. supra p. 26

στοιχεῖα] *πάντα οὕτως δέδασται.* schol. A Il. l. s. *οἱ δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖά φασιν αὐτὸν λέγειν Δία* [*πῦρ*], *Ποσειδῶνα ὕδωρ, Ἀιδῆς ἀήρ, εἶτα γῆ καὶ κατ' ἐξοχὴν ἐν αὐτῷ ὁ Ὄλυμπος.* schol. V Il. l. s. *κοινὴ ὅλων τῶν στοιχείων ἡ γῆ καθότι ἐν αὐτῇ εὑρίσκεται καὶ τὰ λοιπὰ τρία στοιχεῖα· τὸ γὰρ ὕδωρ αὐτῇ συνεσφαίρωται καὶ πυρὸς ἀναδόσεις περὶ αὐτὴν γίγνονται ὥσπερ κατὰ τὴν Αἴτνην ἐν Σικελίᾳ καὶ περὶ τοὺς Ἡφαίστου κρητῆρας, ὁμοίως δὲ καὶ περὶ Κράγον Λυκίας καὶ ὅσα τοιαῦτα· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἀὴρ περὶ αὐτήν ἐστι. καλῶς δὲ καὶ τὸν Ὄλυμπον κοινόν φησιν, ἐπεὶ καὶ ὁ Ὄλυμπος τὴν γένεσιν ἐκ τῶν τεσσάρων κέκτηται στοιχείων.* schol. ABD Il. l. s.

O 365. *οἱ δὲ περὶ τὸν Κράτητα ψιλῶς* (scribunt uocem *ἦιε*) *ἀπὸ τῆς ἰάσεως.* schol. A Il. l. s. *οἱ περὶ Κράτητα ψιλοῦσιν ἀπὸ τῆς ἰάσεως· ἰατρὸς γάρ.* Eustath. in Il. l. s. p. 1020, 16.

O 494 sq. *κάλλιον δέ φησι ταῦτα τοὺς νέους ἀναγινώσκειν Κράτης εἰς διέγερσιν ἢ ἃ Τυρταῖος Λακεδαιμονίοις ἔγραψεν.* schol. BLV Il. O 496. *φασὶν οἱ παλαιοὶ ὡς κάλλιόν ἐστι ταῦτα τοὺς μαχίμους νέους ἀναγινώσκειν ἐν βραχεῖ δυνατῶς καὶ κατὰ τάξιν ἢ ἃ Τυρταῖος πολυλογῶν Λακεδαιμονίοις ἔγραψεν.* Eustath. in Il. l. s. p. 1026, 23.

Σ 192 sq. *ζητεῖται διὰ τί τὰ Πατρόκλου* (*ὅπλα*) *οὐ λαμβάνει* (Achilles) *εἰ καὶ τὰ αὐτοῦ ἐκείνῳ ἥρμοσεν . . . Κράτης ὅτι τὰ Πατρόκλου Αὐτομέδων εἶχεν ὅπως ἰσωθῇ τὸ εἶδος καὶ δόξωσιν εἶναι ὁ μὲν Ἀχιλλεὺς ὁ δὲ Πάτροκλος.* schol. A Il. l. s.

Σ 239 sq. *ζητεῖται διὰ τί ἄκοντά φησι τὸν ἥλιον δῦναι. Κράτης μὲν τὸν αὐτὸν Ἀπόλλωνα εἶναι καὶ ἥλιον. ἐπιτυγχανόντων οὖν τῶν Τρώων χρονίζειν ἡδόμενόν τε καὶ μηκύνοντα αὐτοῖς τὸ ἐπίτευγμα· Ἥραν δὲ τὰ ἐναντία βουλομένην ἀναγκάζειν αὐτὸν δύνειν.* schol. A Il. l. s. *καὶ ἔστιν ὁ λόγος ἀστεῖος ὡς καὶ Κράτης ἐπισημαίνεται· ἀλληγορικῶς γὰρ ὁ ἥλιος τῇ δίνῃ τοῦ οὐρανοῦ συνελκόμενος*

---

u. 2 *πῦρ* suppleui ‖ *u. 8* *Κράγον* corr. Vsener pro *Κέραγον* ‖ *u. 11* *Ὄλυμπος* scripsi pro *οὐρανός* ‖ *u. 13* cf. schol. D et BL l. s. ‖ *u. 17* *ἢ — ἔγραψεν* om. L ap. Bachm. ‖ *u. 23* *αὐτοῦ* Bekker ‖ *u. 32* *ἀστεῖος* scripsi pro *ἀστείως*

ἄκων ἐπὶ δυσμὰς ἕλκεται διὰ Ἥρας τῆς τοῦ περιέχοντος δηλαδὴ φύσεως. Eustath. in Il. l. s. p. 1140, 48.

Σ 488 sq. *οὐδὲ Κράτης οὖν ὀρθῶς γράφει· οἴη τ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.* Strabo I p. 3 C. *ὁ δὲ Κράτης οὕτως ἀναγινώσκει „ἥ τ' αὐτοῦ — δοκεύει“* (*Σ* 488 *μέχρι τούτου καταλέγων· „οἴη τ' ἄμμορος — Ὠκεανοῖο“* (*Σ* 489), *ἵνα τὸ συμβεβηκὸς αὐτῇ καὶ ἐφ' ἑτέροις τῶν ἄστρων ἀκούηται.* Apollonius lex. Homer. u. *ἄμμορον* p. 29 Bekker.

Τ 357. cf. Cratetis frg. ad Aratum u. 1 sq.

Φ 323. *Κράτης μέντοι γενικὴν πτῶσιν ἐξεδέξατο* (uocem *τυμβοχόης*)*· καὶ δῆλον ὅτι ἐβάρυνεν ὁμοίως τῷ οἰνοχόης.* schol. A Il. l. s.

Φ 558 sq. *ὁ δὲ Κράτης Ἰδήιον γράφει ἵν' ᾖ τὸ ὑποκείμενον τῇ Ἴδῃ.* schol. B Il. l. s. *ὁ δὲ Κράτης Ἰδήιον τὸ Ἰδαῖον.* schol. A Il. l. s.

Ψ 679. *ἡ διπλῆ ὅτι ἐπὶ τοῦ Μηκιστέως ἀκουστέον „ὅς ποτε Θήβας ἦλθεν“, οὐκ ἐπὶ τοῦ Εὐρυάλου ὡς ὁ Κράτης.* schol. A Il. l. s.

Ω 253. *Κράτης μέντοι κατηφέες* (non *κατηφόνες*) *γράφει.* schol. A Il. l. s.

IN ODYSSEAM

α 23 sq. *δύο Αἰθιοπίας τῇ φύσει ὑποληπτέον ὑπάρχειν περί τε τὸν θερινὸν τροπικὸν τὸν παρ' ἡμῖν κύκλον περιοικούντων Αἰθιόπων καὶ περὶ τὸν ἡμῖν μὲν χειμερινὸν τροπικὸν τοῖς δὲ ἀντίποσι θερινόν. τοῦτο δέ φησι Κράτης καὶ τὸν Ὅμηρον λέγειν ἐν οἷς φησιν· „Αἰθίοπες τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν, οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος οἱ δ' ἀνιόντος.“ Κράτης μὲν οὖν παραδοξολογῶν τὰ ὑφ' Ὁμήρου ἀρχαϊκῶς καὶ ἰδιωτικῶς εἰρημένα μετάγει πρὸς τὴν κατ'*

u. 3 οἴη τ' corr. pro *οἷος δ'* B. Thiersch *Zeitalter* etc. p. 52 cf. schol. BV Il. l. s. p. 507 b, 50 || *u. 6 οἴη τ'* corr. Thiersch l. s. pro *ἠδ' ᾗ κεν* coni. Toll. ad Apollon. p. 743 sq. || *u. 7 ἐφ'* addidi || *u. 25 ὑπεροικούντων* coni. Petauius || *u. 30 ἰδιωτικῶς* corr. Vsener pro *ἰδικῶς*

ἀλήθειαν σφαιροποιίαν. Geminus elem. astronom. p. 53 D in Petau. uranolog., p. 66 ed. Halma. . . *τοὺς δὲ γραμματικοὺς μηδὲ λέγοντος ἐκείνου* (Homeri) *αἰσθάνεσθαι ἀπὸ Ἀριστάρχου καὶ Κράτητος τῶν κορυφαίων ἐν τῇ ἐπιστήμῃ ταύτῃ . . . ὁ δὲ Κράτης* (scribit)· „*ἠμὲν δυσομένου Ὑπερίονος ἠδ' ἀνιόντος*" . . . *ὁ μὲν γὰρ* (Crates) *ἀκολουθῶν τοῖς μαθηματικῶς λέγεσθαι δοκοῦσι τὴν διακεκαυμένην ζώνην κατέχεσθαί φησιν ὑπὸ τοῦ ὠκεανοῦ. παρ' ἑκάτερον δὲ ταύτης εἶναι τὴν εὔκρατον τήν τε καθ' ἡμᾶς καὶ τὴν ἐπὶ θάτερον μέρος. ὥσπερ οὖν οἱ παρ' ἡμῖν Αἰθίοπες οὗτοι λέγονται οἱ πρὸς μεσημβρίαν κεκλιμένοι παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην ἔσχατοι τῶν ἄλλων παροικοῦντες τὸν ὠκεανόν, οὕτως οἴεται δεῖν καὶ πέραν τοῦ ὠκεανοῦ νοεῖσθαί τινας Αἰθίοπας ἐσχάτους τῶν ἄλλων τῶν ἐν τῇ ἑτέρᾳ εὐκράτῳ παροικοῦντας τὸν αὐτὸν τοῦτον ὠκεανόν· διττοὺς δὲ εἶναι καὶ διχθὰ δεδάσθαι ὑπὸ τοῦ ὠκεανοῦ· προσκεῖσθαι δὲ τὸ „ἠμὲν δυσομένου Ὑπερίονος ἠδ' ἀνιόντος", ὅτι τοῦ ζωδιακοῦ κατὰ κορυφὴν ὄντος ἀεὶ τῷ ἐν τῇ γῇ ζωδιακῷ, τούτου δ' οὐκ ἐκβαίνοντος ἔξω τῆς Αἰθιόπων ἀμφοῖν τῇ λοξώσει ἀνάγκη καὶ τὴν πάροδον τοῦ ἡλίου πᾶσαν ἐν τῷ πλάτει τούτῳ νοεῖσθαι καὶ τὰς ἀνατολὰς καὶ τὰς δύσεις συμβαίνειν ἐνταῦθα ἄλλας ἄλλοις καὶ κατ' ἄλλα ἢ ἄλλα σημεῖα. εἴρηκε μὲν οὕτως ἀστρονομικώτερον νομίσας.* Strabo I p. 31 C. *καὶ Κράτητα εἰσάγοντα τὴν ἑτέραν οἰκουμένην* (in Homeri α 23 sq. uerba), *ἣν οὐκ οἶδεν Ὅμηρος δουλεύειν ὑποθέσει* (dicit Posidonius). Strabo II p. 103 C. *Κράτης μὲν ἐξηγεῖται ὅτι ἡ μεγάλη τῆς Ἰνδικῆς θάλασσα μεσεμβολοῦσα τοὺς Αἰθίοπας ἐξ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς ποιεῖ αὐτοὺς δίχα δεδαῖσθαι.* chrestom. Strabonis lib. I tom. III p. 457 ed. Kramer.

---

u. 5 ὁ δὲ — ἀνιόντος om. **nop** sec. man. add. **C** || *u. 8 ἑκάτερα* coni. Coraes || *u. 16 προκεῖσθαι* **l** *προκεῖσθαι* sec. man. σ add. **B** || *u. 17 οἱ δὲ* **a** sed *ἠδ'* sub marg. agglut. **A** || *u. 19 ἔξω τὴν Αἰθιόπων* **BCl** *ἔξω τὴν* (supr. *ταῖν*) *αἰθιόπων* (supr. *ίαιν*) **A** *ταῖν αἰθιοπίαιν* **ghnopk** et sec. man. marg. **B** add. || *u. 24. καὶ Κράτητα* scripsi pro *καὶ Κράτητα δὲ* coni. Casaubon

α 320. *Κράτης δέ φησιν ἀνοπαῖαν τὴν τετρημένην κεραμίδα τὴν ἐπὶ τῆς ὀροφῆς.* etym. magn. p. 111 u. *ἀνόπαια. Κράτης δὲ τὴν τετρημένην κεραμίδα.* schol. M Odyss. l. s.

γ 293. *ὁ δὲ Κράτης σὺν τῷ $\overline{ν}$ γράφει* (uocem *λισσὴ*) *Λισσήν.* schol. HM (bis) QTV Odyss. l. s. *Κράτης δέ φασι σὺν τῷ $\overline{ν}$ γράφει Λισσήν.* Eustath. in Odyss. l. s. p. 1468, 40.

δ 81 sq. *οἱ μὲν* (in Homeri *δ* 81 sq. uerba) *περίπλουν τῶν διὰ Γαδείρων μέχρι τῆς Ἰνδικῆς εἰσάγουσιν ἅμα καὶ τὸν χρόνον τῇ πλάνῃ συνοικειοῦντες, ὅν φησιν ὅτι „ὀγδοάτῳ ἔτει ἦλθον . . .“ οὔτε δ᾽ ὁ περίπλους ἀναγκαῖος, ὃν Κράτης εἰσάγει, οὐχ ὡς ἀδύνατος εἶναι . . . ἀλλ᾽ ὅτι οὔτε πρὸς τὰς ὑποθέσεις τὰς μαθηματικὰς χρήσιμος οὔτε πρὸς τὸν χρόνον τῆς πλάνης. καὶ γὰρ ἀκούσιοι διατριβαὶ κατέσχον αὐτὸν ὑπὸ δυσπλοίας φήσαντα, ὅτι ἀπὸ ἑξήκοντα νεῶν πέντε ἐλείφθησαν αὐτῷ καὶ ἑκούσιοι χρηματισμοῦ χάριν.* Strabo I p. 38 C.

δ 84. *οἱ δὲ* (putant *Ἐρεμβοὺς* esse) *τοὺς Ἰνδοὺς παρὰ τὸ ἔρεβος· μέλανες γάρ· ὅθεν καὶ Κράτης τοὺς Ἐρεμνοὺς γράφει.* schol. EHMV Vindob. Odyss. l. s. *τινὲς δὲ Ἐρεμβοὺς τοὺς Ἰνδοὺς νοοῦσι παρὰ τὸ ἔρεβος· διὸ Ἐρεμνοὺς γράφει ὁ Κράτης ὅ ἐστι μέλανας.* Eustath. in Odyss. l. s. p. 1484, 66. *Κράτης δὲ Ἐρεμνοὺς γράφει καὶ ἀποδίδωσι τοὺς Ἰνδοὺς ἐπεὶ μέλανες οὗτοι.* etym. magn. p. 370 u. *Ἐρεμβοί.*

δ 260. *Κράτης δὲ δύο ποιεῖ* (uocem *ἤδη*), *ἦ καὶ δή· διὸ καὶ περισπᾷ τὸ ἦ.* schol. HQ Odyss. l. s.

---

u. 1 κατά τινας μὲν ἡ καπνοδόκη ὡς καί φησι Κράτης (*φησι Κράτης* scripsi pro *Φερεκράτης*) *ἡ ἐπὶ τῆς ὀροφῆς τετρημένη κεραμίς* **V**ᵇ || *τὴν ἐπὶ τῆς ὀροφῆς τετρημένην κεραμίδα* **V**ᵃ (in marg. *ἀνόπαιαν*) || *u. 2 τὴν* ante *ἐπὶ* om. **D** || *u. 3 τετρημένην* corr. Dindorf pro *τετριμμένην* || *u. 5 ὅθεν Κράτης* **M** (secundo loco) **TV** || *σὺν τῷ ιν* **M** (sec. loco) **QV** *σὺν τῷ ἶν* **M** (pr. loco) || pro *γράφει* **T** *γὰρ* teste Dindorfio in appendice p. 750 || *u. 6 Λισσήν* corr. Dindorf coll. Strab. X p. 479 *λισσὴν* **H** *λισσὶν* **M** (pr. loco) *λίσσιν* **M** (sec. loco) **QV** || *u. 7 βλισσήν* libri || *u. 9 τὸν* **Bl** *τῶν* supr. *ὸν* **A** || *u. 11 ἔτει* sup. *ἔτι* **A** || *u. 12* pro *οὐχ ὡς* codices *οὕτως* || *u. 15 φήσαντος* coni. Casaubon || *u. 19 τοὺς* om. **EMV** Vindob. || *καὶ* add. ante *Ἐρέμνους* **MV** || *u. 20* pro *γράφει* **M** *λέγει* || *u. 25 ῆ* **Q** || *u. 26 περισπᾷ* corr. Dindorf pro *περισπᾶται* || *ἦ* **Q**

δ 611. *Κράτης γράφει ὀλοοῖο.* schol. H Odyss. l. s.

ϑ 22. *Κράτης δὲ τοὺς κατὰ Ἰθάκην ἤκουσε πόνους.* schol. QV Odyss. l. s.

ϑ 59. *μέμφονταί τινες ὡς ὀλίγα παρασκευάσαντος Ἀλκινόου τοῖς Φαίαξι πολλῶν ὄντων τῶν μελλόντων εὐωχεῖσθαι. καὶ Κράτης δὲ τὸ αὐτὸ πέπονθεν αὐτοῖς πάντας οἰόμενος τοὺς Φαίακας εὐωχεῖσθαι παρὰ τῷ Ἀλκινόῳ.* schol. HQ Odyss. l. s.

ι 22. *τινὲς δὲ Νήιον ὥσπερ ὁ Κράτης τὸν περὶ τὸν λιμένα τόπον ἐν ᾧ ἦν συνηρεφὴς τόπος ἱερὸν Νυμφῶν, ἀφ' οὗ καὶ τὰς Νύμφας κοινῶς Νηιάδας προσαγορεύεσθαι.* schol. HQ Odyss. l. s. *τὸ δὲ Νήριτον Κράτης τὸ ἐν τῷ τόπῳ τῷ περὶ λιμένα Νήιον γράφει.* Eustath. in Odyss. l. s. p. 1613, 39. *Νήιον ὄρος Ἰθάκης, ἀφ' οὗ κατὰ Κράτητα αἱ Νηιάδες.* Stephanus Byz. u. *Νήιον.*

ι 60. *ἄτοπον ἡγοῦνται μήτε πλέονας μήτ' ἐλάττους ἀνῃρῆσθαι ἀφ' ἑκάστης νηὸς, ἀλλ' ἴσους ὡς ἀπὸ τοῦ ἐπιτάγματος . . . λύει δὲ ὁ Κράτης οὕτως. βούλεται Ὅμηρος ἑβδομήκοντα δύο ἀπολωλότας σημᾶναι. πεζὸν μὲν τὸ φάναι ἀπώλοντο οἱ ἑβδομήκοντα δύο καὶ σχεδὸν ἀδύνατον εἰπεῖν εἶναι ποιητικὸν διὰ τὸ μέτρον. δώδεκα γὰρ νεῶν οὐσῶν καὶ ἀπολομένων ἑβδομήκοντα δύο εἴτε ἐκ μιᾶς νεὼς ἁπάντων εἴτε ἐκ πλειόνων μηκέτι εἶναι τὸν ἀριθμὸν τῶν στρατιωτῶν πλήρη ἐν ἑκάστῳ πλοίῳ. ὅτε γὰρ ἔμελλον ἀποπλεῖν, τότε ἐξ ὀνόματος καλῶν πάντας καὶ εὑρὼν τοὺς λείποντας ἀναγκαίως ἐμέρισεν εἰς τὰς ναῦς ἐξ ἴσης. ἐνέλιπον δὲ ἓξ εἰς ἑκάστην ναῦν ἐρέται.* schol. HQ Odyss. l. s.

κ 3. *ὁ μέντοι Κράτης* (uocem *πλωτῇ*) *ἀκούει πλεομένῃ* Apollon. lex. Homer. u. *πλωτῇ* p. 132 Bekker.

κ 86. *Κράτης δέ φησι κατὰ αὐτοὺς τὴν τοῦ δράκοντος*

u. 6 δὲ γὰρ αὐτὸ **Q** || *u. 9 ὁ Κράτης* corr. Porson pro *ὁ ἀκροατὴς* || *περὶ λιμένα* **Q** teste Dindorfio in append. p. 777 || *u. 12 τὸ ἐν τῷ τόπῳ τῷ περὶ λιμένα* scripsi pro *τε ἐν τῷ περὶ λιμένων* || *u. 17 ἴσους ὡς ἀπὸ* corr. I. G. Schneider ap. Buttmann. pro *ἴσως ἀπὸ* || *u. 20 ἀπώλοντο* corr. Dindorf pro *ἀπώλλοντο* || *u. 22 ἀπολομένων* corr. Dindorf pro *ἀπολλωμένων* || *u. 25 ἐλλείποντας* coni. Vsener || *u. 30 κατὰ αὐτοὺς τὴν τοῦ δράκοντος* scripsi pro *κατὰ τὴν τοῦ δράκοντος αὐτοὺς*

κατηστερίσθαι κεφαλὴν περὶ ἧς Ἄρατος λέγει „κείνη — ἀλλήλησιν“ (u. 61. 62) ὥστε πλείω μὲν εἶναι τὴν ἡμέραν, ὀλίγην δὲ τὴν νύκτα ὡς ἀνάπαλιν παρὰ τοῖς Κιμμερίοις. εἴ τις οὖν δύναται διαγρυπνεῖν διττοὺς κομίζεται μισθούς. schol. HV Odyss. l. s. Κράτης βραχείας αὐτοῦ ὑποτίθεται τὰς νύκτας. καὶ γάρ φησιν αὐτοὺς εἶναι περὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος περὶ ἧς Ἀρατός φησι „κείνη — ἀλλήλησιν“ (u. 61. 62)· ὅθεν σύνεγγυς οὐσῶν τῶν ἀνατολῶν ταῖς δύσεσι λέγειν τὸν ποιητὴν „ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε“ καὶ τὰ ἑξῆς παρὰ τὸ πλησιάζειν τὰς τῆς νυκτὸς κελεύθους ταῖς τοῦ ἤματος κελεύθοις ἢ τὴν νύκτα ἐγγὺς τετάχθαι τῆς ἡμέρας βραχυτάτην οὖσαν. schol. HQ Odyss. l. s. κατῆρξε δέ φασι τῆς τοιαύτης μαθηματικῆς ἐπινοίας Κράτης βραχείας ὑποθέμενος τὰς ἐκεῖ νύκτας καὶ εἰπὼν εἶναι τοὺς Λαιστρυγόνας ὑπὸ τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος κατηστερισμένην περὶ αὐτοὺς ἣν καὶ Ἄρατος λέγει ἴσσεσθαι „ἧχιπερ — ἀλλήλησιν“ (u. 61. 62). Eustath. in Odyss. p. 1649, 33. Κράτης δὲ ὁ γραμματικός φησι τῶν τόπων τούτων καὶ Ὅμηρον μνημονεῦσαι ἐν οἷς φησιν Ὀδυσσεὺς „τηλέπολον — κέλευθοι“ (κ 82—86)· περὶ γὰρ τοὺς τόπους τούτους γινομένης μεγίστης ἡμέρας ὡρῶν κά ἰσημερινῶν, ἡ νὺξ μικρὰ παντάπασιν εἶναι ἀπολείπεται ὡρῶν γ', ὥστε πλησιάζειν τὴν δύσιν τῇ ἀνατολῇ· μικρᾶς παντάπασι τῆς περιφερείας ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβανομένης ὑπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ. εἴ τις οὖν φησι δύναιτο διαγρυπνεῖν τὰς τηλικαύτας ἡμέρας διπλοῦς ἐξοίσεται μισθοὺς „τὸν μὲν — νομεύων“ (κ 85). εἶτα ἐπιφέρει τὴν αἰτίαν μαθηματικὴν οὖσαν καὶ σύμφωνον τῷ σφαιρικῷ λόγῳ· „ἐγγὺς — κέλευθοι“ (κ 86), τοῦτο δ' ἐστὶν ὅτι ἡ δύσις παράκειται τῇ ἀνατολῇ. Geminus elem. astronom. p. 23 A in Petau. uranolog., p. 30 ed. Halma. cf. Cratetis frg. in Arat. u. 62.

